STRUVE

CATALOGUS NOVUS STELLARUM DUPLICIUM.

CATALOGUS NOVUS

STELLARUM DUPLICIUM ET MULTIPLICIUM.

Editum jussu Senatus Universitatis Dorpatensis.

G. EWERS, Rector.

Dorpati, die 9. Junii 1827.

Est. B-2105

CATALOGUS NOVUS

STELLARUM DUPLICIUM ET MULTIPLICIUM

MAXIMA EX PARTE

IN SPECULA

UNIVERSITATIS CAESAREAE DORPATENSIS

PER

MAGNUM TELESCOPIUM ACHROMATICUM FRAUNHOFERI DETECTARUM.

AUCTORE

F. G. W. STRUVE,

SPECULAE DORPATENSIS DIRECTORE.

TARTU ÜLIKOOLI RAAMATUKOGU

DORPATI MDCCCXXVII,

TYPIS J. C. SCHUENMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI.

TARTU ÜLIKOOLI
RAAMATUKOGU

i 337955 26

AUGUSTISSIMO

IMPERATORI

NICOLAO PRIMO,

AUTOCRATORI TOTIUS RUTHENIAE

CET. CET. CET.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

D. D. D.

AUGUSTISSIMO

IMPERATORI

NICOLAO PRIMO,

AUTOCRATORI TOTIUS RUTHENIAE

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

IMPERATOR CLEMENTISSIME,

Augusto TUO nomini ut opus hoc inscriberetur, pro summa TUA humanitate annuisti. Quo quid pietati meae evenire potuisset exoptatius? Speculam enim Dorpatensem, jussu ALEXANDRI BENEDICTI conditam et subsidiis incomparabilibus instructam, TU etiam munificentissime auxisti. Locum vero primum inter speculae apparatus obtinet tubus magnus achromaticus Fraunhoferi, opus ob praematuram auctoris mortem unicum. Liber jam hic primitias continet studiorum, instrumento illo incomparabili

acceptas per duorum annorum vigilias. Quas ne prorsus indignas censeas, quae **NOMINE TUO** ornentur, submisse rogat

MAIESTATI TUAE

devotissimus

FRIDERICUS GEORGIUS WILHELMUS STRUVE.

Introductio.

Ut magnum telescopium achromaticum Fraunhoferi exeunte anno 1824 in speculam venit Dorpatensem, cujus maximum jam est habendum decus, in accuratiorem disquisitionem de stellis duplicibus et multiplicibus ipsum adhibere propositum est. Incepi ideo seriem observationum de distantiis et directionibus stellarum compositarum hucusque cognitarum, secundum catalogum in specula nostra anno 1820 congestum, qui prostat in volumine III. observationum Dorpatensium. Eximia enim virtus apparatus micrometrici cum tubo nostro conjuncti, nec minus magna ipsius vis optica tum praecisionem pollicebantur prioribus observationibus nostris longe superiorem, tum metiendi facultatem praebebant etiam in iis stellis, quae seu nimis vicinae erant, quam ut in minoribus tubis satis distincte sejunctae viderentur, seu ne duplices quidem agnoscebantur, quamvis tales ab immortali Herschelio conspectae. Neque tum apparuerat magnum et eximium opus de stellis compositis a viris clarissimis J. F. W. Herschelio et Southio nuper Londini editum, neque, pro subsidiis ab his astronomis adhibitis, observationes etiam hae praecisionem eam offerebant, quam per tubum nostrum assequi sperare licebat. Coeptam omni ardore seriem observationum vero reliquimus, cum majoris videretur momenti, ut generalior conderetur cognitio de corporibus his inter stellas fixas maxime memorabilibus, totum coelum Dorpati conspicuum perlustrare omnesque stellas compositas intra certos fines repertas enumerare. Examina nonnullarum coeli regionum jam facta longe majorem nobis obtulerant numerum stellarum duplicium denuo detectarum quam antea cognitarum, ex quibus plures erant etiam inter stellas Flamsteedianas, quamvis hoc respectu ab Herschelio jam examinatas. Compluribus deinde peractis lustrationibus, hanc mihi laboris non temere suscipiendi proposui rationem, ad finem usque religiose servandam.

Cum stellae horizonti viciniores sine fructu per magna inspicerentur telescopia, finem examinis posui in circulo aequatori parallelo 15 gradibus ab ipso ad Austrum distanti, unde stellae maxime australes partis coeli perlustrandae in altitudine $16\frac{1}{2}$ graduum in meridiano conspicerentur. Inde a polo coeli boreali erant itaque 105 gradus declinationis examinandae, quae pars est 0,62941 seu mox $\frac{2}{3}$ superficiei globi coelestis. Spatium hoc in zonas divisi 12, ita:

Zona I. est inter — 15° et — 5° declinationis.
— II. — — — 5 et + $2\frac{1}{2}$ —
— III. — — + $2\frac{1}{2}$ et + 10 —
— IV. — — + 10 et + $17\frac{1}{2}$ —
— V. — — + $17\frac{1}{2}$ et + 25 —
— VI. — — + 25 et + $32\frac{1}{2}$ —
— VII. — — + $32\frac{1}{2}$ et + 40 —
— VIII. — — + 40 et + 50 —
— IX. — — + 50 et + 60 —
— X. — — + 60 et + 70 —
— XI. — — + 70 et + 80 —
— XII. — — + 80 et + 90 —

Singulas zonas per ascensionum rectarum horas ita aggressus sum, ut, moto tubo in declinatione per zonae spatium, singulae stellae in tubo minori, quaestore, conspicuae in campum tubi magni ducerentur ad examen subiendum. Eaque est motus in instrumento nostro facilitas, ut manu imposita in globum alterum ad aequilibrium tubi servientem, tubus eam statim petat ad unguem directionem, quam manu impresseris, nullis inde ortis totius instrumenti vibrationibus. Ita horae spatio plus 400 stellae possunt examinari. Et talis est imaginum acies, ut, exercitatione accepta, primo plerumque intuitu dijudicetur, num stella inspecta sit duplex necne. Vitrum oculare in his lustrationibus adhibitum micrometro filari erat junctum, et 214 vices amplificabat. Quae vis sufficiebat ad stellas subtilissime duplices prodendas, cum comitem ϑ Cygni distincte disjunctam monstraret, cum duplices classis primae vicinissimas, ϕ Herculis, γ Coronae, 7 Tauri, ex imaginis difformitate nobis indicare valeret. Sed his occasionibus, si coelum satis favebat, ocularia majoris augmenti, ad vices 600 usque, sunt adhibita, ad suspicionem confirmandam.

Sed et numerus stellarum examinandarum et distantia inter stellas duplices vocandas erant certis finibus circumscribendi. Quaestor, cujus focus a vitro objectivo 29 linearum Par. aperturae 30 pollicibus distabat, 18 vices amplificabat, campo 2° 37′ capiente. Omnes stellas in ipso obscura nocte conspicuas examinare nimium fuisset opus. Minimas itaque rejeci, et disquisitionem extendi a stellis lucidis ad eas usque, quae sunt inter magnitudinem octavam et nonam, et lucidiores ordinis noni. Quas stellas omnes etiam in plenilunio in distantia 20 graduum a Luna per quaestorem agnoscere possem. Stellas intra 32″ distantes duplices accepi, rejectis classibus quinta et sexta Herscheliana. Detectae duplices ad classem primam, secundam, tertiam seu quartam referebantur, prout distantia erat seu intra 4″, seu inter 4″ et 8″, seu inter 8″ et 16″, seu inter 16″ et 32″. Stellae itaque intra 32″ distantes, quarum altera non minor quam ordinis noni, erant, quas in coelo quaererem, et repertas in diarium inducerem. Saepius quidem forte incidi in stellas duplices minores, sed harum a consilio alienarum nulla est habita ratio.

Loca stellarum detectarum constituebantur ex indicibus in circulo horario et declinatorio lectis, et ex tempore transitus per medium campum secundum horologium pendulum Liebherrianum notato, adhibitis correctionibus ex locis stellarum in catalogo Siculo obviarum. Indicis utriusque

lectio nudo oculo fiebat, ne nimium temporis impenderetur, ad 0′,1 in ascensione recta et ad 1′ in declinatione. Ita loca ad minutam unam seu duas fere certa accipiebantur, cum nulla in foco fila essent extensa, sed stella in medio campo, diametri 8′,6, ex taxatione observaretur. In zonis polo vicinioribus lectiones in circulis correctae sunt pro deviatione poli instrumenti a coelesti, ex observationibus stellae polaris cognita, quae vero paucas minutas non excedebat. Si plures stellae in campo instrumenti una cum duplice erant conspicuae, haecque talis erat, ut in minoribus instrumentis aegre duplex agnosceretur, descriptionem adjiciendam duxi secundum configurationem. Paucis occasionibus duplicem per diagramma designare melius duxi.

Cujusnam duplicium classis detecta stella esset, ex taxata distantia dijudicabatur, unde in pluribus occasionibus etiam classes mediae inter primam et secundam et sic porro sunt positae, judicio distantiae interdum incerto. Me in universum classem recte denominasse, mensurae denuo institutae docuerunt.

Magnitudines singularum stellarum, quae duplicem formabant, scribebantur. Majoris stellae ordo plerumque jam per quaestorem judicabatur. Minoribus comitibus vero justam assignare magnitudinem difficilimum erat, quae pro aeris tranquillitate et pelluciditate mox melius mox pejus viderentur. Ideoque minimas stellas ordini 12 adnumeravi, quae non nisi obscuro campo in magno telescopio conspiciebantur; ordinem 11 dedi majoribus campo jam illuminato conspicuis, quas coelo favente etiam in tubo circuli meridiani Reichenbachiani agnoscas; etiam majores ordinis 10 posui, intermediasque praeterea assumsi magnitudines. Non me fugit quam subjectiva sit haec magnitudinum determinatio, respecta et vi optica instrumenti, et acie oculi et conditione aeris. Sed haec ipsa caussa exstitit, cur plures ordines accipere non idoneum duxerim. Et ita in universum successit stellam pluribus forte noctibus visam, eidem adscripsisse ordini. Etiam collatae magnitudines ex observationibus per tubum circuli meridiani Reichenbachiani fere eaedem repertae sunt cum iis, quas in lustrationibus per tubum magnum assignaveram, nisi quod stellae ordinis 11 saepe et ordinis 12 omnes in illo tubo minori non conspicerentur.

Colores stellarum, quorum diversitas in luculento telescopio nostro facili agnoscebatur, non statim notavi, cum occasione observationum micrometricarum suscipiendarum majus foret hunc in finem otium.

Nebulae occasione oblata detectae in diarium sunt illatae.

Ea denique obtinuit lex, ut non nisi coelo favente perlustrationes haberentur. At interest etiam magnum discrimen inter ipsas noctes bonas. Et saepe lustratio aere bono incepta, versus finem jam moto aere, pejor evasit. Atque interdum accidit, ut lens objectiva extrinsecus humore obtegeretur. Quibus in casibus lustratio est repetita vice secunda. Contra humorum in vitrum praecipitationem remedium vero facile inveni in tubo 18 pollices longo ex charta crassa (Pappe), vitro objectivo imposito. Quo adhibito nulli umquam humores in vitro sunt amplius reperti. Si Luna in coelo erat, nihilominus lustrationes fiebant, at in regionibus a Luna remotis. Zonae vero inferiores in ipso meridiano seu in vicino examinabantur; altissimae vero aliquot horis seu ante seu plerumque post culminationem, quo major esset corporis in observando commoditas.

Ut laboris nostri indoles melius perspiciatur, describam hoc loco ex diarii archetypo partem lustrationis die 16. Sept. 1826 institutae, quo, ex itinere in usum arcus meridiani metiendi reversus, inceptum opus continuavi. In spatio a 19 h. 7′ ad 21 h. 52′ temporis sideralis horae 17ma et 18va ascensionis rectae zonae inter + 10° et + 17½° aere optimo examinabantur, in quibus 44 stellae duplices sunt repertae, quarum 6 antea erant notae. Hic unam horam apposuisse sufficit.

Tempus horologii.	Index circuli horarii.	Index circuli declinat.	Descriptio.
′ ″	′	° ′	
19 h. 12 27	2 h. 6,2	+ 16 12	I. II. (8) (9).
— 16 6	— 9,2	+ 14 37	α Herculis duplex = H. II. 2.
— 21 22	— 4,4	+ 13 31	III. IV. (7.8) (7.8).
— 26 53	— 11,6	+ 16 39	I. (8.9) (9). Sequens major duarum.
— 28 45	— 11,8	+ 15 48	I. (5.6) (9).
— 31 10	— 11,2	+ 11 35	IV. (5) (7).
— 32 50	— 12,0	+ 10 39	I. (8) (9). Altera (6) ad Boream sequitur.
— 34 35	— 11,4	+ 10 39	III. (8) (9). Prior duarum classis VI.
— 37 17	— 10,2	+ 12 43	α Ophiuchi simplex.
— 38 47	— 12,2	+ 13 18	IV. (6.7) (11) = 54 Ophiuchi, H. III. 53.
— 52 14	— 13,3	+ 14 54	II. (7) (7).
— 54 19	— 14,1	+ 14 56	I. (7) (8.9). Borealis duarum aequalium.
— 56 56	— 18,8	+ 17 50	I. (8) (8).
20 h. 1 18	— 18,1	+ 12 14	III. IV. (8.9) (9).
— 5 4	— 13,9	+ 12 31	I. (8.9) (8.9).
— 7 9	— 10,7	+ 14 47	IV. (7) (10). Maxima plurium.
— 8 21	— 17,8	+ 14 42	III. (7.8) (9.10).
— 13 38	— 11,2	+ 16 28	I. (6.7) (6.7).
— 16 46	— 15,4	+ 13 32	I. (8.9) (9).
— 20 7	— 22,3	+ 12 3	II. (6) (7) = H. III. 56.
— 24 53	— 23,4	+ 13 31	I. (8) (9.10).

Ad correctiones inserviunt observatae α Herculis et α Ophiuchi, quibus prodiit:

	α Herculis	α Ophiuchi		α Herculis	α Ophiuchi.
Culminatio:	17 h. 6′ 54″	27′ 5″	Decl. observata:	+ 14° 37′	+ 12° 43′
A. R. med. 1826:	6 43	26′ 51	Decl. med. 1826	+ 14 35,8	+ 12 41,7
Correctio in A. R.	— 11″	— 14″	Correct. in Decl.	— 1,2	— 1,3

Unde pro tota zona accepi correctionem in A. R. = — 0′,2, in Decl. = — 1′. Ex 19 stellis duplicibus hac in hora detectis erant 3 Herschelianae, 16 novae, quarum 8 classis primae.

Secundum consilium ita propositum laborem coepi die 11. Febr. 1825. Instrumentum tum temporis in camera occidentali speculae erat positum, ubi per fenestram altam coeli meridionalis erat

liber adspectus ad horizonte usque ad altitudinem 43 graduum per horae spatium utrimque a meridiano. Mansit instrumentum hoc in loco usque ad diem 9 Novembris ejusdem anni. In quo intervallo examen zonarum trium inferiorum a — 15° ad + 10° declinationis perficere studui, quod in 43 noctibus successit, exceptis horis tertia, quarta et quinta ascensionis rectae. Cum tempus tum saepe vacaret, multae ex stellis duplicibus detectis per micrometrum jam mensuratae et per circulum meridianum quoad locum in coelo sunt definitae. Medio mense Novembri 1825 instrumentum in partes est dissolutum, et in turrem mobili tecto instructam translatum ibique est compositum. Quo cum in loco staret, unde totum liberum erat coelum et observatio omni fiebat commoditate, die 9. Decembris lustrationes continuavi. Jamque relictis mensuris micrometricis, neglectis magna ex parte, quamvis invito animo, observationibus per instrumentum meridianum, totum me huic labori perficiendo dicavi. A quo inde die usque ad diem 30. Aprilis 1826 noctibus 44 faventibus census est habitus. Jam vero operationes mensurae arcus meridiani Dorpatensis me a specula avocabant ad medium mensem Septembrem usque, per $4\frac{1}{2}$ menses. Redux die 16. Septembris opus denuo sum aggressus, et die 11. Februarii 1827 postrema est lustratio habita, nocte 129na hunc in finem adhibita. Manent jam solum aliquot zonarum horae nonnullae secunda occasione coelo quam in prima magis favente examinandae.

Adjeci expositionem hanc historicam de labore perfecto, cum inde exiret judicium de indole climatis nostri respectu observationum. Sunt qui credant, telescopia aperturae magnae ad coelum contemplandum non posse adhiberi cum successu nisi rarissime. Ego contra reperi, inde a medio Februario ad finem Octobris usque longe majorem noctium serenarum partem ea gaudere aeris conditione, ut cum successu tubus noster in coelum dirigatur, si non per noctem totam, attamen per plures horas praecipue post Solis occasum. Menses vero November, December et Januarius in nostro climate sunt plerumque observationibus infesti, et coelo saepissime tecto, et cum aer, praecipue crescente frigore, imagines offerat ultra modum motas, ni fallor ex humoribus per frigus continuo praecipitatis. Nihilominus occurrunt noctes magni frigoris ea, qua opus est, gaudentes conditione. Ita postremae lustrationes anni 1825 inde a die 28. ad 31. Decembris quatuor noctibus per maximam noctis partem extendebantur, thermometro infra — 16° R.stante. Et medio mense Februario 1827 postrema totius laboris examina fiebant in temperatura — 19° R., coelo egregie tranquillo. Sed cum post mediam noctem thermometrum ad — 21° R. descenderet, motus imaginum est ortus, qui finem observationibus jam per octo horas continuatis imponi jussit. Dies numeravi secundum diarium, quibus duorum annorum spatio nocturnis aliquot minime horis per tubum nostrum est observatum. Et inveni per 19 menses noctes 180; quinque enim mensibus absens fui. Hinc sequi videtur quotannis 113 circiter noctes ad observationem per tubum nostrum esse idoneas.

Novus catalogus noster jam continet omnes stellas duplices primarum quatuor classium intra — 15° declinationis et polum arcticum, seu antea jam cognitas seu perlustratione exacta demum repertas. Stellae itaque catalogi prioris Dorpatensis vere duplices, tum quae huc pertinent ex 145 novis a Herschelio postremo vitae tempore juris publici factis, tum a Besselio repertae, quarum

catalogus est in vol. X. obs. Regiom, deinde novae a Herschelio II. et Southio detectae, in magno ipsorum opere mensurarum inter stellas compositas occurrentes, denique stellae duplices ex nostro labore detectae huic catalogo insunt. Jam exarata majori catalogi parte, accepimus etiam Herscheli II. descriptionem 321 stellarum duplicium ab ipso detectarum. Hujus catalogi principium, cum stellas contineat, si paucas exceperis, minutissimas ordinum infra nonum, erat a nostro omnino diversum. Unde stellas in ipso contentas non idoneum duxi in catalogum nostrum inducere. Omnium stellarum vero loci pro initio anni 1826 sunt dati secundum lustrationes nostras, in quibus et duplices aliunde cognitae maxima ex parte essent obviae. In illis vero stellis, in quas per lustrationes non inciderim, loca et magnitudines secundum auctores attuli. Quarum vero numerus est exiguus, cum 18 stellas ex Herscheli II. et Southii auctoritate et 56 ex Besseli susceperim, ita ut inter 3063 stellas catalogi nostri tantum 74 sint, quas non ipse in coelo conspexerim, sed aliorum astronomorum studiis unice debeam.

Totum catalogum nostrum cum magno catalogo Piazzii comparavi, ut certior fierem de iis stellis, quarum positiones ibi occurrerent. Deinde pro stellis in catalogo Siculo non obviis examen institui, num in Bodei Uranographia inessent necne.

Catalogus ipse jam ita est dispositus.

Columna 1 numeros stellarum in catalogo continet.

Columna 2 nomen stellarum exhibet. Et numerus constellationem praecedens est Flamsteedianus, sequens vero ex Bodei Uranographia. At stellae secundum Uranographiam denominatae non in catalogo Siculo inveniuntur. Nam quae praeter Flamsteedianas in hoc sunt repertae, more solito per horam et numerum in hora sunt insignitae.

Columnae 3 et 4 continent ascensiones rectas et declinationes pro anno 1826, satis tutas ut stellas in instrumentis meridianis reperiat, si quis loca accuratius constituenda suscipiat.

Columna 5 stellae dnplicis descriptionem exhibet; et numerus quidem Romanus classem indicit, ita ut bini I. II. exempli gratia stellam duplicem designent, quae, judicio distantiae incerto, seu ad primam seu ad secundam pertineat classem. At bini ita scripti I. et II. stellam indicant triplicem, singulis ita dispositis, ut duas duplices constituant, alteram primae alteram classis secundae. Magnitudines sunt datae per numeros Arabicos uncis inclusos, et bini etiam hic numeri medium denotant ordinem. Epitheta insequentia magnitudines, ab his non majori divisionis signo sejuncta, ut vicinae, pervicinae, vicinissimae et difficilis, praecipue in prima classe obvia, ad relationem stellarum conjunctarum propius designandam valent. Eadem columna indicat, si plures in campo apparebant stellae, quaenam duplex fuerit, quem in finem descriptiones sunt appositae ut in Nr. 6: Duarum sequens, borealis, minor. Porro in hac columna invenies numeros catalogorum immortalis Herscheli, ita ut ad Nr. 12 = 35 Piscium adscriptum H. III. 62, et ad Nr.

79 sit H. N. 45, quod posterius significat, esse stellam 45tam ex novis stellis Herschelianis, numero 145, in actis inclytae Societatis astronomicae Londinensis publici juris factis. Deinde in hac columna est scriptum, quaenam ex stellis, in catalogo Dorpatensi anni 1820 non occurrentibus, etiam in Besseli catalogo et in operibus Herscheli II. et Southii essent obviae. Denique eas stellas, quae ex his operibus sunt susceptae, dum in lustrationibus non invenerim, peculiariter tales indicavi.

Postrema columna 6 exhibet numeros catalogi prioris nostri pro stellis in illo obviis.

Positiones stellarum in catalogo allatae sunt tantum proxime justae, quamvis per idem instrumentum majore labore praecisionem majorem attingere potuissem. Quae mihi videbatur inanis temporis jactura, cum alio instrumento, meridiano, loca omni praecisione essent constituenda. Interest tamen judicare errores datarum positionum. Quas eum in finem pro 12 primis horis in stellis nobis et Besselio communibus cum locis ab hoc astronomo datis contuli. Ita errores nostri catalogi inveni tales:

in A. R.	in Decl.
in 27 stellis 0',0 temporis	in 40 stellas 0' arcus.
— 28 — 0,1 —	— 29 — 1 —
— 23 — 0,2 —	— 20 — 2 —
— 8 — 0,3 —	— 2 — 3 —
— 4 — 0,4 —	
— 1 — 0,6 —	
Error medius 0',13 —	atque 0',82 —

Ex quo sequitur positionis datae esse erorem probabilem 0,'11. sec δ in A. R., et 0,'72 in Decl. Quae certitudo fini proposito respondet.

Totus catalogus complectitur 3063 stellas duplices. Numeros in diversis ascensionis rectae horis et classibus monstrabit schema sequens, in quo paucas stellas, quarum classis in diario est omissa, compendii caussa informes nominavi.

CONSPECTUS TOTIUS CATALOGI SECUNDUM CLASSES ET HORAS ASCENSIONIS RECTAE.

Horae.	Classes.							Informes.	Summa.
	I.	I. II.	II.	II. III.	III.	III. IV.	IV.		
0	21	0	24	2	20	2	24	0	93
I.	35	1	27	7	20	3	33	0	126
II.	44	3	28	5	31	5	20	0	136
III.	51	3	28	2	31	3	26	0	144
IV.	42	6	34	1	26	3	36	0	148
V.	58	10	33	11	37	9	51	0	209
VI.	42	9	39	3	36	5	36	1	171
VII.	43	8	34	4	28	4	40	0	161
VIII.	36	5	25	2	25	2	30	2	127
IX.	31	1	20	3	16	3	20	0	94
X.	27	5	22	1	19	4	24	0	102
XI.	29	4	16	2	21	3	15	0	90
XII.	32	1	20	5	24	4	33	0	119
XIII.	25	7	15	0	14	0	20	0	81
XIV.	46	4	16	0	19	1	22	0	108
XV.	28	0	23	2	19	5	21	0	98
XVI.	46	3	16	4	14	4	28	0	115
XVII.	52	3	28	4	25	5	36	1	154
XVIII.	55	6	28	5	38	6	40	1	179
XIX.	55	7	31	5	31	5	40	0	174
XX.	43	4	26	0	24	0	33	0	130
XXI.	34	2	15	0	21	7	23	0	102
XXII.	30	10	23	1	29	0	22	1	116
XXIII.	31	3	16	1	13	4	19	0	86
Summa	935	105	587	70	581	87	692	6	3063

Primo intuitu videmus numerum stellarum duplicium esse maximum in horis V. et VI. atque XVIII. et XIX, et eo minorem quo magis ab his recedamus. Minimus ideo numerus apparet circa horas XXIII. et XI. Quod explicatur ex numero stellarum omnium in horis obviarum diverso, pro ut sunt Viae lacteae viciniores seu ab ipsa remotiores. Sed de hac stellarum distributione infra agemus.

Stellas 74 in catalogum recepimus ex sola aliorum astronomorum auctoritate. Etenim inter stellas duplices in operibus Herscheli II. et Southii occurrunt 116 stellae antea non cognitae classium nostrarum. 98 ex his in lustrationibus reperimus, 18 non sunt inventae. Inter Besseli

257 duplices a — 15° ad + 15° declinationis sunt 56, quas examina nostra non obtulerint. Ita in universum ex 373 stellis 74 omisimus. Cujus rei ea est explicatio, quod ex his stellis multae fuerunt minores, quam quas in coelo examinaverim. Inde etiam evenit, ut una tantum stella magnitudinis septimae, a Besselio detecta duplex, nobis obviam facta non esset, et 11 stellae tantum magnitudinum (8) et (8.9). Qui numerus mihi satis exiguus videtur, qui probet, non multas stellas in labore nostro esse omissas. Nam nil omittere in tali incepto opus videtur humanas vires excedens, cum, etiam omni adhibita cura, externae caussae non animadversae observationes non raro infestent. Ex 74 illis stellis sunt 10 classis I, 8 classis I. II., 29 classis II., 21 classis III., 5 classis IV., et una informis.

Ex reliquis 2989 stellis 301 inveni in Herscheli catalogis antiquioribus, praeterea 141 in catalogo meo anni 1820, et 39 inter novas Herscheli, ita ut 481 stellae catalogi nostri ante inceptum opus fuissent cognitae. Manent ideo novae stellae duplices 2508, quarum vero 165 occurrunt seu in catalogo Besseli anno 1825 edito seu in observationibus Herscheli II. et Southii. Superstites sunt 2343 stellae compositae, quae praeter catalogum nostrum nullibi, quantum scimus, occurrunt. Incrementum illud 2508 stellarum compositarum in classes ita digestum invenitur:

	Classes.							Informes.
	I.	I. II.	II.	II. III.	III.	III. IV.	IV.	
A.	89	21	112	7	110	13	130	
B.	925	97	558	70	560	87	688	5
Increment.	836	76	446	63	450	74	558	5

Columna A. continet stellas ante opus inceptum duplices notas; columna B. stellas duplices novi catalogi praeter 74 supra memoratas.

Specialis est comparatio laboris nostri pro zona intra — 15° et + 15° declinationis cum catalogo stellarum duplicium a cl. Besselio in ea detectarum. Hujus zonae spatium est 0,25882 superficiei totius globi coelestis = 0,41121 partis nobis perlustratae. In quo spatio catalogus Besseli 257 exhibet duplices trium primarum classium, nostro catalogo stellas offerente 1069 quatuor classium, seu 821 trium illarum, inter quas 564 sunt a Besselio non repertae. Hic nostrarum duplicium numerus triplex oriundus et a majori numero stellarum nobis examinatarum, quam Besselio observatarum, et a majori vi optica magni nostri telescopii. At certo admiraberis tot etiam stellas Regiomonti duplices esse visas, cum oculare tubi quinquepedalis aperturae 4 pollicum Par. in observationibus zonarum Besselianarum adhibitum tantum 106 vices amplificaret, et inter stellas esse 75 classium I. seu I. II. Unum vero hic etiam est commemorandum, scilicet zonam primam a — 15° ad — 5° declinationis a nobis cura et successu minori esse examinatam, cum in altitudine a 16° ad 26° numquam ea fuisset conditio aeris, quae viribus instrumenti nostri prorsus respondisset. Haec sufficiant ad generaliorem comparationem lustrationis nostrae cum aliorum astronomorum laboribus huc spectantibus.

Si classium intermediarum stellas inter classes utrimque proximas aequaliter partimur: evadunt nobis numeri in classibus quatuor primariis hi ex toto catalogo.

Classis I. sunt stellae duplices 987.
— II. — — — 675.
— III. — — — 659.
— IV. — — — 737.

Summa 3058.

Stellae vero duplices sunt seu optice compositae seu physice, illae oriundae ex fortuita stellarum in coelo distributione, hae ex nexu physico inter ipsas stellas. Illarum numerus cum distantia apparenti debet augeri in ratione quadratorum distantiae, eruntque ideo in classibus nostris stellae optice duplices in proportione 1: 3: 12: 48; unde ex 64 talibus stellis in universum una tantum ex probabilitate erit classis primae. Quanto vero differunt numeri stellarum nobis in diversis classibus inventarum ab hac proportione, cum maximus numerus in ipsa classe prima reperiatur. Me vero non fugit numerum in classe quarta esse justo minorem, cum interdum distantiores hujus classis ex valde inaequalibus neglexerim; at nullam stellam duplicem trium primarum classium de industria omisi. Quodsi 737 esse numerum stellarum solarum optice duplicium hujus quartae classis supponimus, proportio supra allata in classibus reliquis tales offerret numeros stellarum optice duplicium:

In classe	I.	II.	III.	
	15;	46;	184;	ex proportione:
at sunt	987;	675;	659;	ex catalogo.
Supersunt	972;	629;	475;	stellae physice duplices habendae.

Certius vero nobis videtur, neglecta classe quarta, cum sit incompleta, in numerum stellarum physice duplicium priorum classium modo probabili inquirere. Si p', p'', p''' sunt numeri stellarum physice duplicium et q', q'', q''' optice compositarum in his classibus, cum $q'' = 3q'$ et $q''' = 12q'$: habemus aequationis tres

$$p' + q' = 987;\ p'' + 3q' = 675;\ p''' + 12q' = 659;$$

in quibus quatuor insunt incognitae. Supponamus inter p', p'' et p''' esse proportionem geometricam, seu $p'' = \mu p'$; $p''' = \mu p'' = \mu^2 p'$: mutantur aequationes in has:

$$p' + q' = 987;\ \mu p' + 3q' = 675;\ \mu^2 p' + 12q' = 659.$$

Ex quibus $\mu = 0{,}6280$ est; et $p' = 963{,}8$; $q' = 23{,}2$;

$p'' = 605{,}2$; $q'' = 69{,}8$;

$p''' = 380{,}1$; $q''' = 278{,}7$.

Uterque calculus satis propinque in idem convenit. Ex secundo, qui numeros pro p', p'', p''' paulo minores offert, deducitur:

inter 100 stellas duplices classis I. esse proxime 98 physice conjunctas;
— 100 — — — II. — — 90 — ——
— 100 — — — III. — — 58 — ——

Pro quarta classe si $p'''' = \mu\, p'''$ ponimus, accipimus $p'''' = 238{,}7$ et $q'''' = 1114{,}8$, quarum summa est 1353 stellarum, quae multo major est numero 736 catalogo inductarum. Hinc confirmatur quod supra diximus, hanc classem non nobis esse completam. At cum vix crediderim me dimidiam fere partem stellarum duplicium hujus classis omisisse, hoc nimium discrimen indicio videtur esse, numerum stellarum optice duplicium ex calculo nostro vero majorem exstitisse. Interim numerus pro $p'''' = 238{,}7$ deductus id indicat, etiam inter stellas classis quartae multas esse physice duplices. At cum in examinibus nostris eas numquam omiserimus duplices classis quartae, quarum singulae non multo magnitudine differrent, etiam hujus classis stellas physice duplices maximam ad partem in catalogo nostro occurri ratum habemus.

Duplices classis primae in catalogo nostro non raro sunt epitheto insignitae, plurimae vero eo carent. Invenimus:

non insignitas	stellas	796;
vicinas	—	99;
pervicinas	—	52;
vicinissimas	—	23;
dubias	—	17.
	Summa	987.

Vicinarum stellarum distantiam judico esse inter 1″,2 et 1″,6, pervicinarum inter 0″,8 et 1″,2, vicinissimarum vero minorem quam 0″,8. Ita nobis notissima duplex ω Leonis est ex pervicinis, non ex vicinissimis, cujus distantiam $= 0''{,}92$ inveni. Dubiae sunt eae stellae, in quibus certum non fuit de compositione judicium, sed suspicio ipsius tantum exstitit. Multae quidem ex stellis vicinissimis aere minus secundo dubiae fuissent; et inde dubiosae plerumque eam ab caussam non sunt certo duplices cognitae, quod aer non talis erat, quo majores amplificationes in subsidium vocari possent. Nonnullas ex dubiis in aeris conditione meliori jam denuo examinavi, et hucusque in omnibus suspicionem non inanem fuisse inveni. Sic Atlas Pleiadum est ex dubiis in catalogo, Nr. 453, ubi fortasse cuneum esse adscriptum reperies. At die 28. Febr. 1827 per oculare amplificationis $= 600$ in singulas stellas magnitudinum (5) et (8) distincte sejunctam vidi crepusculo. Distantiam reperi 0″,80 et angulum positionis 17,°5 A. Sq. Persuasum quidem nobis est nos ex vicinissime duplicibus complures stellas non cognovisse, tum ob aeris conditionem interdum tantum mediocrem, tum quia et nostri instrumenti est vis optica finita, unde per telescopium majoris etiam virtutis plures detegerentur hujus generis stellae duplices. Cum vero 99 tantum stellas vicinas invenerimus, id nobis indicio est, ut in universum stellae primae quidem classis quam secundae frequentiores sint, ita tamen in ipsa classe prima non viciniores quam distantiores saepius inveniri. Neque lex potest esse generalis, diminuta distantia apparenti sensu geometrico, etiam geometrica ratione augeri numerum stellarum compositarum, ex qua lege pro distantia infinite parva numerus stellarum infinitus sequeretur, i. e. numerus infinitus stellarum simplicium ad certum magnitudinis ordinem usque, qui finitus est. At stellae illae vicinissimae, ut ζ Herculis, η Herculis, γ Coronae, ε Arietis, Atlas Pleiadum et aliae sunt, per quas de efficacitate aliorum telescopiorum comparatione nostri optimum possit ferri judicium, et quae, ut mihi videtur, testimonium dent irrefragabile de eximia virtute

tubi nostri, cum per oculare 214 tantum vices amplificans stellae illae duplices sint ex suspicione difformitatis detectae.

Illi etiam tubi nostri virtuti debemus, complures stellas duplices, ab immortali Herschelio detectas, quae postea non amplius ab aliis atronomis tales sunt recognitae, denuo ita apparuisse Ad hoc genus pertinent:

Nr. 288 = H. III. 79.
— 431 = ο Persei. H. III. 39.
— 518 = H. II. 80.
— 571 = H. III. 95.
— 655 = ι Leporis. H. III. 67.
— 741 = H. III. 76.
— 920 = H. III. 98.
— 1134 = H. II. 39.
— 1135 = π Geminor. H. IV. 53.
— 1356 = ω Leonis. H. I. 26.
— 1704 = 44 Virginis. H. IV. 51.
— 2055 = λ Ophiuchi. H. I. 83.
— 2084 = ζ Herculis. H. I. 36.
— 2579 = δ Cygni. H. I. 94.
— 2704 = β Delphini. H. IV. 35.
— 2716 = 49 Cygni. H. II. 98.
— 2729 = 4 Aquarii. H. I. 44.
— 2776 = H. I. 46.
— 2939 = H. III. 69.

Quae quidem stellae in catalogo nostro anni 1820 justis locis occurrunt, at notatae asterisco, hoc est tum temporis Dorpati non duplices visae. Neque in Herscheli II. et Southii mensurarum operibus eas duplices inveneris, unde certum est etiam his astronomis non successisse duplices videre. Quod ibi de π Geminorum est verbis expressum, cujus comitem distantiorem quidem conspexere aliquam, non visa Herscheliana classis quartae. ω Leonis quidem occurrit duplex in pagina 391 observationum cl. Southii, at ibi potius suspicio quam certus visus comitis videtur fuisse, cum magnitudines sint positae majoris et comitis (6) et (9), quae paululo tantum differant secundum nostras observationes repetitas (6) et (6.7). Sic et mihi jam anno 1823 per tubum circuli meridiani Reichenbachiani successerat, formam nosse oblongam, cui vero observationi nullam fidem habui, quamvis angulus directionis taxatus cum postea mensurato optime conveniens non me falsum esse probavit. — Duae sunt jam inter stellas supra allatas maxime memorabiles, quae ipsi Herschelio, quamvis duplices detectae, postea simplices apparuere, nempe ζ Herculis et δ Cygni. Utriusque stellae vero comites denuo conspeximus, nec est δ Cygni ex difficilioribus, cujus comes minoribus adhibitis augmentis jam distincte sejuncta appareat, cum comes ζ Herculis sit majori vicinissima. Sed de harum stellarum mensuris vide adnotationes ad catalogum, quae utriusque syste-

matis motum in gyro prodidere. — Una tantum manet stella, de cujus positione in coelo nullum adsit dubium, Herschelio classis primae visa, quam per telescopium nostrum frustra examinaverim, τ Ophiuchi = H. I. 88. At altitudo hujus stellae culminantis est 23° tantum, minor quam ut tubus omnem exerceat vim suam. Induxi tamen hanc stellam in catalogum, cum prae aliis digna esset attentione astronomorum. De conatibus nostris hucusque frustratis ad comitem conspiciendam adeas, si placet, catalogi adnotationes. — Nonnullae praeterea sunt duplices classium praecipue inferiorum inter ipsas stellas Flamsteedianas, quas frustra per nostrum telescopium duplices quaesiverim. In pluribus ipsarum vero nullum est dubium, quin auctor stellas falso denominaverit. Ita 56 Draconis ab Herschelio est duplex ex aequalibus dicta, H. II. 31. At quae stella in catalogo Siculo et Uranographia est 56 Draconis nuncupata, ea est simplex. Sed quae gradu ab illa distat, Draconis 233 duplex videtur et cum Herscheli descriptione congruit, quam ideo pro H. II. 31 habeo. Sic 24 Aquilae Herschelio duplex dicitur, H. I. 14, quae tamen simplex est; at 23 Aquilae est duplex classis primae, quas commutaverat stellas Herschelius. Et ejusmodi sunt exempla plura in promptu. Difficilius est stellas duplices H. IV. 23 et IV. 24 enucleare, quae in primo catalogo Herscheliano sunt ω^2 et ω^3 Cygni nominatae. Quae nomina emendavit Herschelius jam in litera ad Bodeum in Ephem. Berol. 1787 p. 214, ubi ω^3 Cygni = IV. 23 et vicinam, quae est Cygni 210, = IV. 24 posuit, quae emendatio congruit cum correctione manuscripta auctoris a Herschelio II. in nota paginae 259 observationum Southii publici juris facta. Sed neutra stellarum neque mihi neque Southio duplex classis quartae apparuerat, sed quintae et sextae tantum. Nec telescopium Fraunhoferianum alias monstravit comites in examinibus de industria repetitis, quam nobis jam cognitas, quarum altera 55″ a ω^3 Cygni, altera 61″ a Cygni 210 distat. Herschelius vero comitum distantias non ex mensura sed ex taxatione assumsit, unde persuasum nobis est ex errore stellas in classem quartam esse inductas. Cujus rei alterum exemplum stella ζ Orionis falso classi quartae vice quintae adscripta offert. Nulli ideo dubitavimus has stellas ex nostro catalogo rejicere, cum ad classes nostris inferiores pertinerent.

Magnae praeterea intrumenti praecisioni debemus, plures stellas jam antea quidem duplices cognitas ultra ab ipso, ut ita dicam, esse dissolutas, seu praeter comites antea cognitas novas plerumque debiliores et viciniores esse detectas. Harum stellarum catalogum hic addam.

Nr. 117. ψ Cassiopeiae = H. V. 83. Duplex hucusque observata. Major est A. = (4); jam nobis ipsa comes in duas dissecta apparuit, B. = (8.9) et C. = (9). Mensuras has fecimus die 19. Martii 1827. Inter A. et B. distantia 32″,39, angulus 11° 51′ A.Sq. Inter B. et C. distantia 2″,77 et angulus 15°,7 A. Pr. Hinc deducitur pro A. et medio inter B. et C. distantia 31″,16 et angulus 13° 2′ A. Sq. Ex differentia ascensionis rectae per instrumenta meridiana = 5″,205 temporis, ex 4 dierum observationibus deducta, et angulo positionis 13°,3 A. Sq., per tubi mobilis micrometrum Fraunhoferianum cognito, distantia deducitur 31″,19. Quae utriusque relationis elementi determinatio cum nova determinatione melius convenit, quam mensura Herscheli II. et Southii, qui distantiam exhibent 33″,35, quae 2″,16 differt, et angulum 11° 19′, qui 1° 43′ differt. Et ita in universum inveni methodum distantiae ex differentia ascensionis rectae et angulo deducendae, si directio est parallelo propinqua, summam dedisse praecisionem in stellis praecipue

valde borealibus. Magnitudo comitis alias erat posita (10); in lustratione utramque comitem (8.9) dixi, in mensura, quae Sole vix occaso fiebat, posui (8.9) et (9). Suspicio oritur aliqua magnitudines esse variabiles, et hanc fortasse fuisse caussam, cur prius fugisset astronomos duplex comitis natura.

Nr. 412. 7 Tauri = H. IV. 88, duplex (6) et C. = (10.11) etiam nobis antea visa. Jam ipsa major ex duabus vicinissimis A = (6.7) et B. = (7) composita. Mensuram accepi die 28. Febr. 1827. Pro A. et B. distantia est 0″,64 et angulus 1°,2 B. Pr.; pro medio inter A. et B. atque C. distantia 22″,50 et angulus 26° 36′. Minora dudum instrumenta dederant 23″,0 et 23°,7. Herscheli II. et Southii angulus 33° 54′ valde a vero aberrat, minus distantia 21″,05.

Nr. 464. ζ Persei = H. VI. 96. Herschelio duae comites visae intra 1′ et 2′ distantes. Major et vicinior comes, nobis (9), ipsum fugerat, quae res est attentione singulari digna, cum cl. Southius ipsam exeunte anno 1824 prior nobis jam vidisset. Recte suspicari videtur Southius hujus comitis lumen esse variabile.

Nr. 748. θ^1 Orionis = H. III. 1. Est notissimum trapezium in nebula Orionis. Quatuor stellas plurimi viderunt astronomi, quinta (12) cum prima notarum in ascensione recta duplicem classis secundae fingens utrosque Herschelios, Schroeterum et Southium fugit. Mensura hujus duplicis die 28 Martii 1827 est haec: distantia = 4″,39, angulus = 84°,6 B. Pr. — Mirum est me saepius nebulam Orionis per biennium tubo nostro observasse, nulla conspecta nova in trapezio comite, quam die 11. Novembris 1826, quamvis Luna in coelo splenderet, primo vidi intuitu. Num haec stella est pro nova habenda? an est variabilis? Simile aliquid suspicari videtur et Herschelius II., quem per literas de hac stella detecta certiorem feceram*).

Nr. 894. 5 Lyncis = H. VI. 102, ex stellis (4) et (8), quae 1′ 35″ distant. At altera comes (11) cum magna duplicem classis IV. efficiens in nostro est detecta telescopio.

Nr. 915. = H. II. 89, ex stellis (8.9) et (10) hucusque. At adest comes tertia (12), cum qua est classis IV.

Nr. 1514. Stella duplex classis quintae, Lalandio, Southio et nobis observata. At altera earum est ex pervicinis classis I. magnitudinum (8) et (10).

Nr. 1752. P. XIII. 113, quae cum stella Ursae majoris 69 Hev. duplicem format H. VI. 22, qualis etiam Southio et nobis est observata. At est per nostrum telescopium classis I. ex stellis (8) et (10).

---

*) Verba literae eximii hujus astronomi, cum quo literarum commercio conjunctum esse non minus nobis est utile et gratum, quam honorificum, sunt haec:

„So soon as J got your letter and was able to leave London, J turned my reflector on the Nebula in Orion, being very much surprised to find a star in so remarkable a position could have escaped me, while engaged to make some drawings, which J have had engraved and annexed to a paper J recently communicated to the astronomical Society. — Howewer the first night, being very unfavorable, J could not see it, but the second night saw it perfectly well, with apertures of 18, 15 and 12 inches, and ewer when the aperture was diminished to 9 inches it could still be seen. J can not understand how it could have escaped my notice hitherto, but perhaps it may be variable. — J estimate it at 5″ distance and about 80° n. p. J should call its magnitude the 16 th. or 17 th.“

Taxationes hae cum mensuris nostris optime congruunt.

Nr. 1964. H. IV. 61 ex aequalibus 16″ distantibus, (6.7) et (6.7). Sed sequens ipsa est classis I., comitante stella (9), quae Herschelium fugerat, sicut Southium, cujus est 674ta, ignari esse H. IV. 61, cum novam acciperet duplicem.

Nr. 2074. 36 Herculis et 37 Herculis sunt H. V. 72. At comes (11) cum ipsa 36 Herculis duplicem classis IV. efficit.

Nr. 2434. P. XVIII. 274. Est duplex classis IV., A. = (8) et B. = (8.9), primum a Piazzio detecta, et ita recognita et Dorpati et a Herschelio II. et Southio. Jam ipsa comes est visa classis I. ex B. = (8.9) et C. = (10). Ex mensuris die 3. Octobris 1825 institutis accepimus pro A. et B. differentiam declinationis 22″,09 et angulum 59° 51′ A. Sq., unde distantia est 25″,55; pro B. et C. vero distantiam 2″,19 et angulum 10°,7 A. Sq. Per minus instrumentum pro 1822,7 exstitit nobis pro A. et B. differentia declinationis = 22″,38 et angulus 59°,1 A. Sq.; Herschelio II. et Southio pro 1823,5 distantia = 26″,02 et angulus = 58° 49′, quae determinationes optime cum nova conveniunt.

Nr. 2544. Est triplex I. et III. (7.8), (9.10), (8), Besselio vero tantum duplex, qui comitem majoris classis I. non viderat.

Nr. 2753. Est duplex Mayeri. Comitem classis VI. 1′ 23″ distantem observavit etiam Southius. Nobis major ipsa est duplex classis tertiae ex (7.8) et (10), talisque jam cognita die 14. Nov. 1822 per tubum circuli meridiani Reichenbachiani. Conf. obs. Dorp. Vol. IV. p. 9.

Nr. 2900. 33 Pegasi = H. V. 99 ex (5) et (7), talis et Herschelio II. et Southio mihique. Sed jam agnovimus stellam majorem esse classis I., comitante stella (9).

Nr. 1878. Huc etiam pertinet 59 Draconis. Est stella, cujus mentionem facit Herschelius in catalogo describens III. 61, quae est 60 Draconis. At non cognoverat 59 Draconis esse classis primae ex (7) et (10).

In parte coeli, quam examini subjecimus, a polo arctico ad — 15° declinationis, secundum cl. Besseli Fundamenta Bradleiana, sunt 2374 stellae Flamsteedianae, ex quibus 229 duplices quatuor classium in nostro catalogo reperiuntur, quarum 166 jam antehac erant notae, cum summus Herschelius his stellis peculiarem navasset attentionem, 63 novae a nobis sunt detectae. Inter 10,39 stellas Flamsteedianas igitur per medium est una duplex, i. e. inter stellas a magnitudine prima ad sextam et septimam, quamvis paucae tantum stellae septimae magnitudinis Flamsteedianae sunt. Eadem proxime ratio evenit, si omnes stellas nostrae coeli partis in Fundamentis obvias cum duplicium numero comparamus. In qua parte sunt 2812 stellae Bradleianae, ex quibus 267 duplices, unde una duplex ex 10,53 stellis. Magnus jam catalogus Siculus in hoc ipso spatio 5762 stellas, seu praeter majores Flamsteedii etiam 3388 stellas plerumque minores magnitudinum (6), (7) et (8) offert. Recensus noster vero 363 stellas duplices continet, obvias in catalogo Siculo, seu praeter 229 supra citatas etiam 134 inter 3388 stellas minores hujus catalogi, quarum itaque ex 24,91 stellis tantum est una duplex. Apparet rationem inter stellas simplices et duplices maximopere mutari secundum magnitudinem stellarum. Nec haec differentia ex eo prodiit, quod in censu nostro omiserimus fortasse stellarum Piazzianarum magnam partem, quae sunt fere omnes majores magnitudine octava. Verum ad hanc magnitudinem usque paucas nos praeteriisse stellas, ratum habemus. Si jam notus foret numerus omnium stellarum a me examinatarum, rationem inter stellas simplices

et compositas etiam pro stellis minoribus magnitudinum (8), (8.9) et (9) assignare valeremus. Sed difficile erit opus, hunc numerum cum certitudine aliqua eruere. Faciamus tamen experimentum. Die 4. Martii 1826 numerus stellarum per 1 h. 38′ laboris continui in campum inductarum et examinatarum a socio adscito est scriptus; nam alias omnes observationes hoc instrumento sine socio perficiendi est consuetudo. Fuere stellae 766 inter 5 h. 14′ et 6 h. 35′ ascensionis rectae in zona a + 10° ad + $17\frac{1}{2}$° declinationis. Itaque horae spatio erant 464 stellae examinatae, earumque duplices determinatae et a me ipso in diarium cum descriptione illatae, numero circiter 17. Nam inter 766 stellas erant 28 duplices repertae, seu una ex 27,4 stellis. At haec coeli regio erat ex illis, in quibus frequentiores essent duplices, unde sequitur in universum rationis numerum majorem esse quam 27,4. Cum vero totus noster census 320 fere horas habeat examinis continui, quas ex diario extraximus, demtis temporibus et primae directionis tubi et limitationis zonarum in circulo declinatorio et remissionis, nos circiter 320. 464 = 148480 stellas examinasse concludimus, quarum 120000 diversas judicamus. Sed ne nimium numerum producamus, supponatur 100000, et prodibit per medium 33am stellam fuisse duplicem, cum catalogus offerat 3063 stellas, quae ratio ab experimento peculiari supra allato sensu suo differt. Demtis a toto stellarum numero stellis Piazzii, et 363 inter has duplicibus ab omnibus 3063 catalogi, reliquae sunt circa 95000 stellae minores, quarum 2700 sunt duplices, seu ex 35,2 stellis minoribus extra catalogum Siculum ad nonam usque magnitudinem est una duplex.

Ut haec rationis diversitas melius constitueretur in stellis etiam majoribus ad septimam usque magnitudinem, adhibuimus recensionem omnium stellarum magnitudinis a prima ad septimam in mappis coelestibus cl. Hardingii pro spatio nostro obviarum, de qua in alium scopum instituta infra agetur. Divisi stellas in tres ordines primarios, lucidarum, magnitudinis (1), (2) et (3), mediarum magnitudinis (4) et (5), et minorum magnitudinis (6) et (7). Deinde ex catalogo nostro duplices horum trium ordinum sejunximus. Ita haec nobis provenere:

	Pro stellis.		
	lucidis	mediis	minoribus
Numerus stellarum ex mappis	142	1006	9081
Numerus duplicium	25	127	733
Numerus rationis	5,68	7,92	12,39

Ita rationis diversitas egregie est probata. Per medium vero ex 10229 stellis ad magnitudinem septimam usque sunt 885 compositae, seu una ex 11,56 stellis, qui numerus optime congruit cum ratione 10,39 in stellis Flamsteedianis supra accepta, inter quas tantum minor pars stellarum magnitudinis septimae invenitur.

Quodsi vero stellae forent solum optice duplices ex casu collocationis in eadem proxime a Sole directione, nulla esset caussa talis in ratione simplicium et compositarum diversitatis. Quae nobis igitur alterum offert argumentum, quo perspiciatur magnam seu potius longe majorem partem stellarum duplicium esse pro physice conjunctis habendam. Inde jam in promptu est explicatio ipsius

in ratione diversitatis ex majore difficultate stellarum minorum i. e longius distantium per telescopia nostra dissolvendarum.

Attentionem jam dirigamus in relativas magnitudines stellarum duarum, quae duplicem efficiunt. Quo respectu primam stellarum duplicium classem accuratius examinavi. Cum magnitudines in hac classe in universum a secunda ad 12mam eant, nam nulla stella primae magnitudinis est duplex classis I. cognita, et cum duplicium majores ad (8), (8.9) et (9) descendant, et in his ordinibus numerus sit stellarum maximus, apparet, eam pro stellis optice duplicibus obtinere legem, ut eo frequentiores sint, quo propius discrimen inter magnitudines sit ad 3; $3\frac{1}{2}$ et 4. Enumeravi vero stellas ita, ut primo duplices ex aequalibus formatas seligerem, tum eas, quae $\frac{1}{2}$ ordinis differunt, tum uno ordine distantes et sic porro. Ita jam ex 872 stellis primae classis, in quibus singularum magnitudines sunt allatae:

in 263 stellis est magnitudo proxime aequalis;
— 183 — est differentia magnitudinis $\frac{1}{2}$;
— 182 — — — — 1;
— 73 — — — — $1\frac{1}{2}$;
— 73 — — — — 2;
— 27 — — — — $2\frac{1}{2}$;
— 35 — — — — 3;
— 10 — — — — $3\frac{1}{2}$;
— 14 — — — — 4;
— 2 — — — — $4\frac{1}{2}$;
— 8 — — — — 5;
— 1 — — — — $5\frac{1}{2}$;
— 1 — — — — 7.

Quis non in his numeris a primo decrescentibus phaenomenon agnoverit non explicandum nisi eo, quod inter stellas duplices hujus classis sint stellae physice duplices. Et numerus exiguus in illis discriminibus, quae pro stellis optice duplicibus debebant esse frequentissima, novum certe argumentum exhibet, omnes fere hujus classis stellas duplices inter physice conjunctas esse censendas. Utique attentione dignum est numerum longe maximum esse earum stellarum duplicium, quae minime magnitudine differant, ita ut lex quaedam naturae videatur esse, stellas inter se attractione junctas esse potius aequales quaminaequales.

Colorum in stellis diversitatem jam diu quidem astronomi agnoverunt. Accuratius vero eam immortalis Herschelius in singulis duplicium notavit. Ex quibus observationibus, sic ut ex Herscheli II. et Southii nostrisque apparet, saepius videri stellas duplices, quarum altera flava, altera, plerumque minor, caerulea sit seu purpurea, qui sunt colores in spectro oppositi. Hoc discrimen non ex judicio oriri subjectivo inde probatur, quod non idem reperitur in omnibus stellis similiter duplicibus. Ita notissima ob magnum motum proprium duplex 61 Cygni ex duabus est composita flavis, (6) et (6.7), sed ipsa minor est flavior. Ita nonnullae inveniuntur stellae duplices classis primae, duabus stellis fere aequalibus coloris aurei conjunctis, ut 36 Andromedae, quae sunt ex pulcerrimis in coelo

objectis. At unum etiam mihi memorabile videtur. Sunt quidem plures stellae rubicundae duplices. Sed non raro in coelo inveneris stellas coloris, ut ita dicam, sanguinei, quarum vero nullam umquam recordor vidisse duplicem. Accuratior vero de coloribus disputatio demum locum habebit, perfectis mensuris micrometricis, in quibus semper in colorem stellarum animum advertimus.

Motum proprium communem stellarum compositarum primus cl. Piazzius animadverterat, cui motus insignis duplicis 61 Cygni ante annum 1804 innotuerat. Catalogum luculentum stellarum 18 duplicium, locum in coelo mutantium, protulit cel. Besselius in Fundamentis Bradleianis, opere omni laude superiore. Non a re vero alienum duximus hic omnes nostri catalogi afferre stellas, quae in Fundamentis occurrunt, adscitis differentiis catalogorum anni 1755 et 1800, ex quo facili perspiciatur, in quibus sit indubius motus proprius, seu probabilis, seu nullus fere.

Columnae hujus catalogi, quibus motus est inscriptus, differentiam inter utrosque catalogos exhibent, seu motum proprium in 45 annis, nisi in notis dictum differentiam ex collato catalogo Bradleiano et Besseliano, in Vol. 5 obs. Reg. obvio, pro 60 annis valere. Columna N. O. inscripta numerum observationum a Bradleio institutarum exhibet. In columna Nominis vero earum stellarum, quae in Fundamentis non sunt nomine insignitae, adjeci ascensiones rectas ex catalogo Fundamentorum.

Catalogus stellarum duplicium in Fundamentis obviarum.

NUMER. CATAL.	N O M E N.	MOTUS IN AR.	N. O.	MOTUS IN DECL.	N. O.	D E S C R I P T I O.
5	34 Piscium . . .	— 3,″5	5	+ 1,″8	5	III. (6) (10).
12	35 Piscium . . .	+ 1,8	5	+ 0,4	5	III. (5. 7) (8) H. III. 62.
22	38 Piscium . . .	— 2,8	5	+ 8,8	2	II. (7) (8) H. II. 50.
27	42 Piscium . . .	+ 1,6	5	+ 3,2	5	IV. (7) (10).
32	49 Piscium . . .	— 6,1	3	+ 5,4	5	III. (7) (11).
36	51 Piscium . . .	— 0,4	5	+ 3,7	5	IV. (4) (9) H. IV. 70.
46	55 Piscium . . .	0,0	5	+ 0,4	5	III. (5) (8. 9).
60	η Cassiopeiae . .	+ 82,3	5	— 21,2	5	III. (4) (8) H. III. 3.
61	65 Piscium . . .	— 2,3	2	— 0,5	3	II. (6) (6) H. II. 84.
73	36 Andromedae . .	+ 5,5	1	— 1,6	3	I. (6. 7) (7).
84	26 Ceti	+ 3,0	5	— 2,4	4	IV. (7) (10) H. IV. 83.
88	ψ^1 Piscium . . .	+ 5,2	5	— 1,1	3	IV. (5) (5) H. IV. 9.
90	77 Piscium . . .	— 0,7	4	— 1,8	2	IV. (6) (6) H. IV. 68.
93	Polaris[1])	+ 71,8		+ 1,4		IV. (2) (9. 10) H. IV. 1.
99	φ Piscium	— 0,3	5	0,0	5	II. (5) (11).
100	ζ Piscium	+ 9,2	4	— 2,2	4	IV. (4) (5) H. IV. 8.
114	AR = 16° 32′.2) .			+ 7,4	1	I. (7) (10).
113	42 Ceti	+ 2,3	5	+ 3,4	5	I. (6. 7) (7. 8).
117	ψ Cassiopeiae . .	+ 0,9	5	+ 0,3	5	IV. et I. (4)(8.9)(8.9)H. V. 83.
132	AR = 19° 43′ . .					IV. (7) (10).
136	100 Piscium . . .	— 3,3	5	+ 2,4	4	III. (7) (8) H. IV. 131.
180	γ Arietis	+ 4,9	9	— 1,3	5	III (4) (4) H. III. 9.
201	3 ι Trianguli . .	+ 0,6	3	— 1,7	2	I. (5) (12).
202	α Piscium	+ 6,2	10	+ 1,7	7	I. (2. 3) (4) H. II. 12.
205	γ Andromedae . .	— 0,9	5	— 2,6	3	III. (3) (5) H. III. 5.
208	10 Arietis	+ 7,3	4	+ 2,7	3	I. (6. 7) (9).
222	59 Andromedae . .	— 0,5	3	— 0,7	3	IV. (7) (7) H. IV. 129.
227	ι Trianguli . . .	+ 2,2	3	+ 0,7	3	I. (5) (6) H. II. 34.
231	66 Ceti	+ 33,1	2	— 1,8	3	III. (6) (8) H. IV. 25.
262	ι Cassiop. 35 Hev. .	— 1,4	1	— 2,3	1	I. et III. (4) (7) (9) H. I. 34 et III. 4.
281	ν Ceti	— 7,5	5	+ 0,8	5	III. (5) (12).
289	33 Arietis	+ 1,8	5	+ 0,8	4	IV. (6.7.) (8.9.) H. IV. 5.
295	84 Ceti	— 2,9	1	— 3,3	3	I. II. (6. 7.) (10).
296	θ Persei	+ 21,3	3	— 4,2	8	III. (4) (12) H. III. 58.
299	γ Ceti	— 6,4	5	— 7,9	5	I. (3) (7. 8.)

NUMER. CATAL.	N O M E N.	MOTUS IN AR.	N. O.	MOTUS IN DECL.	N. O.	D E S C R I P T I O.
311	* Arietis	+ 5″,4	5	— 3″,1	5	I. et V. (4) (9) (9) H. I. 64.
327	Rangiferi 26 . . .					IV. (6) (11).
318	20 Persei	+ 2,4	5	— 2,5	5	III. (5) (10) H. III. 60.
320	Cephei 47 Hev. . .	— 5,9	1	— 1,8	2	II. (6) (9).
323	AR = 39° 55′ 2) .	— 7,3	1			I. (8) (8).
333	ε Arietis	+ 0,5	5	+ 2,1	5	I. (7) (7).
346	52 Arietis	— 6,8	5	+ 0,2	4	III. (4) (10).
412	7 Tauri	— 5,3	5	— 0,8	4	I.etIV.(7)(7)(9.10)H.IV.88.
422	P. III. 98 = 51° 3′ 3)	+ 8,8	2	— 9,5	2	II. (6) (8) H. III. 45.
431	ε Persei	— 0,8	4	— 1,6	2	IV. (4) (9) H. III. 39.
453	27Pleiad. Atlas . .	— 2,1	5	— 2,4	5	I. (5) (8).
452	30 Tauri	— 6,9	4	— 0,6	5	II. (4) (10) H. III. 66.
464	ζ Persei	+ 1,2	5	— 3,2	4	III. (3) (9).
470	32 Eridani . . .	+ 4,2	5	+ 0,6	5	II. (4) (6) H. II. 36.
471	ε Persei	— 0,7	5	— 0,7	4	III. (3) (9) H. II. 22.
479	P. III. 213 = 56° 36′	— 8,6	5	+ 0,6	3	II. (7. 8) (7. 8).
516	39 Eridani . . .	— 0,2	5	— 6,0	3	II. (7) (12) H. N. 24.
528	χ Tauri	— 0,2	5	— 0,6	3	IV. (5. 6) (7) H. IV. 10.
534	62 Tauri	+ 3,4	4	— 0,5	2	IV. (6. 7) (8) H. IV. 109.
550	1 Camelop. . . .	+ 1,7	1	— 0,9	5	III. (5) (6).
554	80 Tauri	+ 2,6	5	+ 3,4	2	I. (7) (9).
566	2 Camelop. . . .	+ 0,7	1	— 5,7	5	I. (5. 6) (8).
571	AR = 65° 57′ . .					IV. (6. 7) (11) H. III. 95.
590	55 Eridani . . .	+ 3,8	5	+ 0,1	4	II. (6) (7) H. III. 99.
610	7 Camelop. . . .	+ 1,8	3	— 1,2	5	IV. (4) (10).
616	ω Aurigae	+ 2,2	5	— 3,2	3	II. (4) (8) H. II. 14.
642	66 Eridani . . .	+ 1,2	5	+ 2,1	3	IV.
647	β Eridani	— 3,0	5	— 1,8	4	I.
649	AR = 74° 9′,2 . .					IV. (7) (9) H. IV. 43.
653	14 Aurigae . . .	+ 5,1	5	+ 1,7	3	IV.etV.(5)(7)(10.11)H.IV.19.
655	ι Leporis	+ 0,4	4	+ 2,1	3	III. (4) (11) H. III. 67.
654	ρ Orionis	+ 0,3	5	+ 1,3	4	II. (5) (10) H. N. 21.
661	κ Leporis	0,0	5	— 1,1	4	I. (5) (8. 9).
668	β Orionis	+ 1,0		+ 0,7		II. (1) (9) H. II. 33.
696	23 Orionis . . .	+ 4,4	5	— 0,5	4	IV. (5) (7) H. IV. 84.
712	AR = 78° 25′,7 .					I. (8) (9. 10) H. I. 53.
716	118 Tauri	+ 3,2	5	— 1,7	5	II. (6) (6. 7) H. II. 75.

NUMER. CATAL.	N O M E N.	MOTUS IN AR.	N. O.	MOTUS IN DECL.	N. O.	D E S C R I P T I O.
725	31 Orionis . . .	— 6,0	5	— 0,4	4	II. III. (6) (12).
728	32 Orionis . . .	— 1,3	5	+ 0,9	5	I. (5. 6) (6. 7) H. I. 25.
729	33 Orionis	— 0,3	5	— 2,2	5	I. (6) (7. 8) H. I. 22.
738	λ Orionis	— 1,5	5	+ 1,8	4	I. II. (4) (7) H. II. 9.
747	Orion. 133 = 80° 46,'3					IV. (5. 6) (6).
748	θ Orionis	+ 3,1	3	+ 3,4	1	III.(4)(7)(7)(8)(12)H.III.1.
752	ι Orionis	+ 7,1	5	+ 3,2	4	III. (3. 4) (9) H. III. 12.
753	26 Aurigae . . .	— 2,7	3	+ 4,6	2	III. (6. 7) (8) H. III. 64.
762	σ Orionis	— 2,1	5	+ 2,7	5	II. et II. (10) (4) (6) (7).
774	ζ Orionis	+ 4,7	10	+ 0,5	10	I. (2) (7) H. IV. 21.
795	52 Orionis	+ 1,6	4	— 3,5	2	I. (6) (7) H. I. 20.
845	41 Aurigae . . .			— 5,4	3	III. (5) (6) H. III. 82.
872	AR = 89° 47',2 .					III. (6. 7) (7. 8).
881	4 Lyncis			— 1,5	6	I. (6. 7) (8).
894	5 Lyncis			— 3,0	5	IV. et VI. (4) (11) (8).
900	8 Monocerotis . .	+ 1,4	3	+ 5,7	5	III. (4) (6. 7) H. III. 29.
919	11 Monocerotis . .	— 3,6	5	+ 1,6	3	I.etII.(5)(5.6)(6)H.I.10etII.17.
924	20 Geminorum . .	— 2,5	5	— 1,2	1	V. (6. 7) (7. 8) H. IV. 46.
938	14 Monocerotis . .			— 1,7	5	III. (7) (12).
946	P. VI. 174 = 95° 47'.			+ 1,2	1	I. II. (7) (9. 10).
948	12 Lyncis			— 0,6	8	I. et II. (6) (7. 8) (7) H. I. 6.
950	15 Monocerotis . .	— 1,6	5	— 1,1	5	I. (6) (9).
963	14 Lyncis	— 4,1	2	— 3,2	5	I. (6) (6).
974	59 Aurigae . . .			+ 2,6	1	IV. (6) (10) H. IV. 102.
982	38 Geminorum . .	+ 1,4	5	— 2,2	3	II. (6) (8) H. III. 47.
997	μ Canis maj. . . .	— 2,2	5	+ 0,2	3	I. (5) (8).
1051	AR = 104° 11' . .					IV. (6. 7) (6. 7).
1055	47 Camelop. . . .			— 3,2	5	I. (6) (10).
1061	λ Geminorum . .	+ 2,1	5	— 0,3	5	III. (3) (10).
1062	19 Lyncis 4) . . .	— 11,6	1	— 2,6	5	IV. (5) (6) H. III. 83.
1065	20 Lyncis 4) . . .			— 8,7	1	III. IV. (6. 7) (6. 7).
1066	δ Geminorum . .	+ 1,3	5	— 0,1	5	III. (3) (8) H. II. 27.
1110	Castor	— 9,9		— 2,4		II. (2. 3) (3. 4) H. II. 1.
1126	P. VII. 170 = 307 May.	— 5,8	5	— 0,5	2	I. (7) (8) H. I. 23.
1135	π Geminorum . .	— 1,5	5	— 1,7	2	IV. (5) (10) H. IV. 53.
1138	2 Navis	— 2,1	2	+ 5,3	2	III. IV. (6. 7) (7) H. IV. 91.
1146	5 Navis	— 5,7	5			I. (6. 7) (8).

NUMER. CATAL.	N O M E N.	MOTUS IN AR.	N. O.	MOTUS IN DECL.	N. O.	D E S C R I P T I O.
1186	11 Cancri	+ 2″,7	4	— 0″,9	4	I. (7) (10).
1190	29 Monocerotis . .	— 0,8	3	+ 1,4	3	IV et VI (6) (12) (9) H. IV 97.
1196	ζ Cancri	+ 4,8	5	— 3,4	4	I. et III. (5) (6) (5. 6) H. I. 24 et III. 19.
1223	φ^2 Cancri	— 2,8	2	— 0,8	3	II. (6) (6) H. II. 40.
1224	υ^1 Cancri	+ 2,4	3	— 4,8	3	II. (7) (7) H. II. 41.
1254	P. VIII. 129 = 359 May.			— 3,2	1	III. (6. 7) (8).
1268	48 ι Cancri . . .	— 1,1	1	— 1,5	3	IV. (4) (5) H. IV. 52.
1273	ι Hydrae	— 7,5	5	— 2,8	4	I. (4) (8. 9)
1291	ι^2 Cancri	— 2,6	5	— 0,9	3	I. (6. 7) (6. 7) H. I. 30.
1295	17 Hydrae	— 7,4	5	+ 0,5	3	II. (7) (7. 8) H. II. 77.
1298	σ^4 Cancri	— 4,5	5	+ 2,4	3	II. (6) (8. 9).
1306	σ^2 Ursae maj. [4]) .	— 3,2	4	— 8,9	1	II. (5) (9) H. III. 54.
1334	38 Lyncis	— 6,3	5	+ 1,6	3	I. (4) (6. 7) H. I. 9.
1340	39 Lyncis			+ 1,3	5	II. (6. 7) (8. 9).
1346	21 Ursae maj. . .	+ 4,1	1	— 1,5	4	II. (7) (8) H. II. 73.
1351	23 h Ursae maj. .	+ 5,1	5	+ 4,2	5	III. IV. (3. 4) (9) H. IV. 29.
1356	ω Leonis	— 2,0	2	+ 1,9	5	I. (6) (6. 7) H. I. 26.
1424	γ Leonis	+ 12,6	10	— 5,6	6	I. (3) (4) H. I. 28.
1441	P. X. 94 = 154° 40′,8	— 5,3	3	+ 0,2	1	I. (6) (10).
1450	49 Leonis	— 3,4	4	+ 1,7	3	I. (6) (9).
1466	35 Sextantis . . .	— 2,1	4	+ 0,5	4	II. (7) (8).
1487	54 Leonis	+ 1,8	5	+ 1,7	3	III. (5) (7) H. III. 30.
1523	ξ Ursae maj. . . .	— 27,0	3	— 27,9	3	I. (4) (5) H. I. 2.
1524	υ Ursae maj. . . .	+ 1,4	5	+ 4,2	3	II. (4) (10) H. N. 53.
1532	σ Leonis	— 5,8	5	— 1,4	5	I. (4) (8), dubiosa.
1536	ι Leonis	+ 6,5	5	— 1,5	5	I. (4) (7).
1538	80 Leonis	— 5,8	5	— 0,7	3	I. (7. 8) (7. 8), dubiosa.
1540	83 Leonis	— 37,8	5	+ 11,3	3	IV. (6) (7) H. IV. 13.
1543	57 Ursae maj. . .	— 2,0	3	+ 0,4	3	II. (5) (8. 9) H. III. 86.
1547	88 Leonis	— 18,5	5	— 6,9	4	IV. (7) (8) H. III. 51.
1552	90 Leonis	— 1,3	5	+ 2,4	3	I. (6) (7. 8) H. I. 27.
1557	υ Leonis	— 0,2	5	+ 2,0	4	I. (4. 5), oblonga.
1579	65 Ursae maj. . .	— 1,3	5	— 0,9	1	I. (5. 6) (8) H. I. 72.
1596	2 Comae Ber. . .	— 1,1	5	+ 1,8	5	I. II. (6) (7. 8.) H. II. 47.
1622	2 Canum ven. [4]) .	+ 7,1	1	— 3,0	3	III. (6) (8) H. III. 85.
1625	AR = 181° 17′,9 [2])	— 13,9	1	— 1,9	1	III. IV. (7) (7).

NUMER. CATAL.	N O M E N.	MOTUS IN AR.	N. O.	MOTUS IN DECL.	N. O.	D E S C R I P T I O.
1636	17 Virginis . . .	— 13,″7	3	— 0,″8	5	IV. (6) (9.10) H. IV. 50.
1657	24 Comae Ber. . .	— 1,3	5	+ 1,9	4	IV. (5) (6) H. IV. 27.
1670	γ Virginis	— 23,2	5	— 0,8	6	I. (3) (3) H. III. 18.
1687	35 Comae Ber. . .			— 1,7	2	IV. (5) (8) H. V. 130.
1692	12 Canum ven. . .	— 16,5	5	+ 2,3	2	IV. (3) (6) H. IV. 17.
1694	Camel. 32 Hev. [5]) .	— 22,0	7	+ 1,6	8	IV. (5) (5) H. IV. 15.
1704	44 Virginis . . .	— 0,5	5	+ 2,3	4	IV. (6) (11) H. IV. 51.
1724	ϑ Virginis	+ 0,6	5	— 1,6	5	III. (4) (11) H. III. 50.
1728	42 Comae Ber. . .	— 22,1	5	+ 6,3	3	I. (6) (6).
1744	ζ Ursae maj. [6]) . .	+ 1,0	6	— 1,2	11	IV. (2) (5) H. III. 2.
1750	72 Virginis . . .	+ 4,8	4	+ 3,0	3	IV. (6) (10) H. N. 27.
1763	81 Virginis . . .	— 0,1	1			I. (7. 8) (7. 8) H. I. 80.
1772	1 Bootis	— 6,5	5	+ 0,9	4	II. (6. 7) (9. 10).
1777	84 Virginis . . .	— 16,7	5	— 1,5	3	I. (6) (8) H. II. 44.
1780	86 Virginis . . .	— 2,3	5	+ 2,1	4	IV. (6) (12).
1788	P. XIII. 238 = 205° 32′,2	+ 1,5	1			I. (7).
1821	κ Bootis	0,0	1	— 0,7	2	III. (5) (7. 8) H. III. 11.
1837	P. XIV. 70 = 571 M.			— 0,6	3	I. (7. 8) (9).
1846	φ Virginis	— 3,9	5	— 0,5	5	I. (5) (10).
1864	π Bootis	— 6,1	3	+ 0,6	3	II. (5) (6) H. III. 8.
1865	ζ Bootis	— 2,6	2	+ 3,0	3	I. (3) (4).
1877	ι Bootis	— 5,3	4	— 0,1	2	I. (3) (6) H. I. 1.
1888	ξ Bootis	+ 5,9	5	— 5,2	3	III. (5) (7) H. II. 18.
1890	39 Bootis	— 6,0	2	+ 2,1	1	I. (6) (7) H. II. 79.
1894	18 Librae	— 1,5	5	— 5,4	5	IV. (6) (10) H. IV. 56.
1909	44 Bootis	— 37,3	5	+ 0,8	1	I. (5) (6) H. I. 15.
1930	5 Serpentis . . .	— 0,5	3	— 24,0	3	II. (5) (10. 11) H. III. 106.
1937	η Coronae	+ 6,4	5	— 9,1	2	I. (5) (5. 6) H. I. 16.
1954	δ Serpentis . . .	— 3,6	3	+ 5,0	2	I. (4) (5) H. I. 42.
1967	γ Coronae	— 11,2	4	+ 6,4	2	I. (4) (7).
1970	β Serpentis . . .	+ 2,6	5	+ 4,2	5	IV. (3) (10) H. IV. 36.
1998	ξ Librae	— 3,3	3	+ 1,9	2	I. et II. (4.5) (5) (8) H. I. 33 et II. 20.
2010	κ Herculis	— 8,4	5	+ 0,6	3	IV. (5. 6) (6) H. V. 8.
2021	49 Serpentis . . .	+ 8,1	2	— 15,0	1	I. (6. 7) (7) H. I. 82.
2032	σ Coronae [7]) . . .	— 22,6	1	— 0,1	1	I. (5) (6) H. I. 3.
2055	λ Ophiuchi . . .	— 0,2	5	+ 0,8	3	I. (4) (7) H. I. 83.
2074	36 Herculis . . .	+ 2,3	3	+ 4,1	2	IV. (6. 7) (11).

NUMER. CATAL.	NOMEN.	MOTUS IN AR.	N. O.	MOTUS IN DECL.	N. O.	DESCRIPTIO.
2078	17 Draconis . . .	— 14,9	2	+ 1,8	6	I. (5) (5) H. I. 4.
2082	42 Herculis . . .			+ 3,1	6	IV. (4) (11) H. IV. 63.
2084	ζ Herculis	— 24,6	5	+ 23,6	2	I. (3) (7) H. I. 36.
2093	η Herculis	— 3,3	5	— 1,8	2	I. (4) (8).
2095	46 Herculis . . .	0,0	1			II. (6. 7) (9) H. I. 79.
2096	19 Ophiuchi . . .	— 6,3	2	+ 1,3	2	IV. (6) (10) H. IV. 123.
2110	56 Herculis . . .	— 2,3	5	+ 0,9	2	IV. (6) (11).
2118	20 Draconis . . .			+ 5,1	5	I. (6) (6).
2130	μ Draconis [8]) . . .	— 9,9	2	+ 2,8	5	II. (5) (5) H. II. 13.
2140	κ Herculis . . .	— 2,5	10	+ 5,5	6	II. (5) (6) H. II. 2.
2161	ρ Herculis	— 0,8	5	+ 5,1	3	II. (4) (5) H. II. 3.
2184	54 Ophiuchi [4]) . .	— 9,4	1	+ 1,4	1	IV. (6.7) (11) H. III. 35.
2194	P. XVII. 200 = 262° 45′			+ 3,9	1	IV. (6.7) (8) H. III. 104.
2202	61 Ophiuchi . . .	— 2,5	2	+ 1,9	2	IV. (5.6) (6.7) H. IV. 32.
2220	μ Herculis . . .	— 22,9	5	— 32,3	5	IV. (4) (10) H. IV. 41.
2241	ψ Draconis . . .	— 7,5	3	— 10,7	5	IV. (4) (5) H. IV. 7.
2262	τ Ophiuchi . . .	— 0,4	2	+ 1,3	2	H. I. 88, jam simplex.
2264	95 Herculis . . .	— 3,3	4	+ 3,1	3	III. (5) (5) H. III. 26.
2272	70 p Ophiuchi . .	+ 10,6	5	— 50,5	5	I. (4) (7) H. II. 4.
2281	73 Ophiuchi . . .	+ 2,3	5	+ 1,6	3	I. (5. 6) (7) H. I. 87.
2280	100 Herculis . . .	— 6,8	3	+ 3,1	3	III. (6) (6) H. III. 41.
2316	59 Serpentis . . .	+ 0,5	5	+ 4,3	5	I. (6) (8) H. I. 12.
2308	40. 41 Draconis . .	+ 1,2	3	+ 1,8	1	IV. (6) (6) H. IV. 67.
2323	39 Draconis . . .	— 3,2	1	+ 3,1	7	I. (4) (8) H. I. 7.
2379	5 Aquilae	— 0,2	5	+ 0,9	3	III. (6) (7).
2382	ε Lyrae	— 4,5	5	+ 7,0	3	I. (5) (6. 7) H. II. 5.
2383	5 Lyrae	— 8,5	5	+ 6,2	3	I. (5. 6) (5. 6) H. II. 6.
2403	Drac. 203 = 280° 21′					I. (6) (8. 9).
2417	θ Serpentis . . .	+ 0,3	5	+ 9,1	2	IV. (4) (4) H. IV. 6.
2420	o Draconis . . .	+ 0,4	5	— 0,1	5	IV. (4) (6) H. IV. 20.
2424	11 Aquilae . . .	+ 0,4	5	— 0,1	3	III. IV. (6) (9) H. III. 32.
2452	Drac. 233 = 285° 23′					II. (7) (8) H. II. 31.
2461	17 Lyrae	+ 2,3	5	+ 4,7	3	I. (5) (10).
2487	η Lyrae	— 2,6	3	+ 3,8	2	IV. (4) (9) H. IV. 2.
2492	23 Aquilae . . .	— 7,5	5	— 0,5	4	I. (5) (10).
2521	P. XIX. 128 = 288° 56′	— 6,3	5	+ 3,1	1	IV. (5) (10).
2579	δ Cygni	+ 3,3	3	+ 2,0	5	I. (3) (8. 9) H. I. 94.

NUMER. CATAL.	N O M E N.	MOTUS IN AR.	N. O.	MOTUS IN DECL.	N. O.	D E S C R I P T I O.
2583	π Aquilae	— 1,″5	5	+ 1,″8	2	I. (6. 7) (7) H. I. 92.
2580	17 Cygni	— 3,2	5	— 18,2	3	IV. (5) (9) H. IV. 11.
2585	ζ Sagittae	+ 0,5	1	+ 6,0	3	III. (6)(8) H. II. 30.
2594	57 Aquilae . . .	+ 8,6	5	+ 5,0	4	IV. (5) (6) H. IV. 14.
2603	ε Draconis . . .	— 4,1	2	— 2,4	5	I. (4) (8) H. I. 8.
2605	ψ Cygni	— 3,7	5	+ 1,1	2	I. II. (5) (7) H. II. 15.
2608	$\varkappa$ Sagittae	+ 1,3	5	+ 4,7	4	IVetVI(10)(11)(6)H.IV.100.
2622	P. XIX 392 = 298° 15′	— 6,7	1			III. (8) (8).
2637	θ Sagittae	— 1,1	5	+ 8,5	3	III. (6) (8) H. III. 24.
2666	Cygni 172 = 302° 21′					I. (7) (9).
2675	$\varkappa$ Cephei[9]) . . .	— 44,7	4	— 1,7	3	III. (4) (8. 9) H. III. 70.
2684	Drac. 275 = 304° 44′					I. (6) (11).
2690	P. XX. 177 = 304° 53′			+ 4,5	1	III. (7) (7) H. III. 16.
2704	β Delphini . . .	+ 2,3	5	+ 5,8	2	IV. (3) (12) H. IV. 35.
2716	49 Cygni	— 2,2	5	+ 1,4	3	I. (6) (8) H. II. 98.
2726	52 Cygni	— 1,9	4	+ 5,3	2	III. (4) (9) H. II. 25.
2727	γ Delphini . . .	+ 7,1	4	— 4,1	3	III. (4) (5) H. III. 10.
2729	4 Aquarii	+ 4,6	3	+ 3,9	2	I. (6) (8) H. I. 44.
2737	1 Equulei	— 6,2	4	— 4,5	4	III. (5) (7) H. III. 21.
2742	2 Equulei	+ 1,3	5	+ 2,5	4	I. (7) (7).
2743	59 f′ Cygni . . .	— 5,2	1	— 1,2	5	IV. (4) (9).
2745	12 Aquarii . . .	— 0,3	4	+ 3,8	3	I. (5. 6) (8).
2758	61 Cygni	+ 223,6	2	+ 148,5	4	IV. (6) (7) H. IV. 18.
2769	AR = 314° 52′ [2]) .	— 1,1	2			IV. (6. 7) (7. 8).
2777	δ Equulei	+ 4,1	5	— 9,1	5	IV. (4) (11) H. IV. 37.
2806	β Cephei	— 7,9	5	— 4,9	5	III. (3) (8. 9) H. III. 6.
2822	μ Cygni	+ 9,0	3	— 10,1	2	III. (4) (5) H. III. 15.
2824	$\varkappa$ Pegasi			+ 5,1	3	III. IV. (3) (12) H. N. 43.
2840	Cephei 147 = 325° 56′					IV. (6) (7) H. IV. 79.
2863	ξ Cephei			+ 2,9	7	II. (4. 5) (6. 7) H. II. 16.
2873	Cephei 180 = 331° 26′					III. (6. 7) (6. 7).
2893	AR = 332° 5′ [2]) .	— 7,4	1			IV. (6) (7).
2900	33 Pegasi [10]) . .	+ 20,2	3	+ 3,1	4	I. et V. (5) (9) (7) H. V. 99.
2909	ζ Aquarii	+ 7,2	5	+ 3,2	5	I. (4) (4) H. II. 7.
2912	37 Pegasi	— 2,3	4	— 2,6	3	I. (6) (7).
2922	8 Lacertae . . .	— 4,1	5	+ 1,7	3	III. (6) (6) H. IV. 86.
2944	P. XXII. 219 = 338° 47′	— 11,1	5	— 8,7	2	I.II.etV.(7.8)(7.8)(9)H.II.57.

NUMER. CATAL.	N O M E N.	MOTUS IN AR.	N. O.	MOTUS IN DECL.	N. O.	D E S C R I P T I O.
2950	Cephei 241 = 340° 28′	″		″		I. (6) (7. 8).
2960	16 Lacertae . . .	— 8,3	2	+ 1,7	3	IV. (6) (9) H. IV. 85.
2982	57 Pegasi	+ 0,9	5	+ 4,9	5	IV. (6) (10) H. N. 16.
2998	94 Aquarii . . .	+ 14,6	4	+ 0,4	2	III. (6) (7. 8) H. III. 34.
3001	o Cephei	+ 7,3	5	+ 2,3	5	I. (5) (9).
3007	AR = 347° 38′,1 .					II. (6) (9).
3049	σ Cassiopeiae . .	— 5,2	3	+ 0,4	4	I. (6) (8) H. I. 5.
3053	AR = 357° 34′ [2]) .			— 0,4	1	III. IV. (6) (7).
3057	AR = 358° 6′ [2]) .			+ 1,8	1	I. (7. 8) (9).
3062	AR = 358° 24′ [2]) .			— 0,4	2	I. (7. 8) (8) H. I. 39.

Adnotationes ad catalogum hunc.

1) Motus pro 60 annis ex Fundamentis p. 306.

2) Motus proprius est pro 60 annis ex observationibus Regiomontanis, Vol. 5 p. VIII. et IX.

3) 422. Motus + 8″,8 in AR est incertus, cum duae Bradlei observationes 20″ differant. Sed etiam in declinatione motus non exiguus locum habere videtur.

4) 1062, 1065, 1306, 1622, et 2184. Dolendum motum magnum stellae 19 Lyncis ex singula pendere Bradlei observatione; idem valet pro motu in declinatione stellarum 20 Lyncis et σ^2 Ursae majoris, et pro ascensionis motu stellae 2 Canum venat. et 54 Ophiuchi.

5) 1694. Camelop. 32 Hev. Motum apposuimus medium utriusque stellae ex Fundamentis. Ex observationibus Dorpatensibus (vide Vol. I. 2. p. 72) majori fide sequitur pro AR in 60 annis motus — 13″,7 et — 13″,6.

6) 1744. AR ζ Ursae majoris in catalogo Siculo erronea est. Ex observationibus Dorpatensibus (Vol. I. 2 p. 73) est deductus motus proprius pro majore + 15″,5, pro minore + 14″,9 in 60 annis.

7) 2032. σ Coronae. Dolendum magnum in AR motum — 22″,6 ex singula Bradlei pendere observatione.

8) 2130. μ Draconis. Motus — 9″,9 in AR est incertior, cum duae observationes Bradlei 8″,4 differant.

9) 2675. κ Cephei. Magnus motus proprius in AR refutatur ex observationibus Dorpatensibus, ex quibus motus sequitur pro 60 annis = — 6″,2. (Vol. I. 2 p. 72.)

10) 2900. 33 Pegasi. Cum tres Bradlei observationes in AR non ita conveniant ut alias, incertior paululo est quantitas motus. Piazzius ex comparatis Flamsteedianis observationibus motum in AR ejusdem sensus at majorem + 0″,80 quotannis deduxit; ita ut nullum dubium sit relictum motum gravem vere locum habere.

Occasione hac oblata plures errores et omissiones nobis occurrerunt in nomenclatura stellarum duplicium Herschelianarum, qualem dedit clar. Besselius in adnotationibus catalogi Fundamentorum Bradleianorum, qui errores magnam ad partem ex ipsis Herschelii catalogis ortum cepere. Pro summo hujus operis pretio correctiones sequentes gratas fore astronomis speramus.

Fundam. p. 143. 1 ψ Piscium est H. IV. 9. — P. 145. ζ Piscium est H. IV. 8. — P. 149. γ Arietis est H. III. 9. — P. 150. α Piscium hic quintae magnitudinis, qui error ex catalogo Siculo irrepsit; in priori hujus catalogi editione est magnitudinis quartae, in Bodei Uranographia et in chartis Hardingianis habet magnitudinem tertiam, eandemque jam in Atlante coelesti Flamsteediano, talemque me semper vidisse scio. — P. 151. γ Andromedae, pro III. 15 lege III. 5. — 55 Cassiopeiae falso est posita H. I. 34 et III. 4, quae est Cassiop. 35

Hev. — 66 Ceti est H. IV. 25. — P. 153. 10 Trianguli non ess H. IV. 40, quae est P. II. 38 et 39, nostra 239. — 35 Cassiopeiae Hev. est H. I. 34 et III. 4. — P. 169. Non λ Eridani est H. IV. 43, sed quae ad Boream procedit anonyma nostra 649. — P. 173. Non 19 Camelopardali est H. V. 89, sed θ Aurigae, qualis est etiam p. 177 dicta. — 1 θ Orionis est H. III. 1. — P. 179. 8 Monocerotis est H. III. 29. — P. 181. 11 Monocerotis est non solum H. 1. 10, sed etiam H. II. 17. — P. 187. Non 49 Camelopardali, sed aliqua vicina est H. V. 135. — P. 189. 11 Cancri. Dubium est, num 11 Cancri an Cancri 17 sit H. I. 11. Vide adnotationes ad ipsum catalogum nostrum p. 81. — P. 191. ζ Cancri est praeter H. I. 24 etiam III. 19. — P. 193. Non 54 Cancri est H. IV. 111. sed nostra 1283. — P. 197. Non 40 Lyncis ipsa est H. III. 84, sed exigua vicina nostra 1342. — P. 199. 44 Lyncis non est H. IV. 30 Conferatur emendatio nominis a Herschelio ipso proposita in Ephem. Berol. 1787 p. 214, stellam IV. 30 esse 43 Lyncis ad Boream praecedentem. Quam vero stellam in examinibus non invenimus. — P. 207. 83 Leonis est H. IV. 13. — P. 215. 35 Comae, pro V. 30 lege V. 130. — 32 Camelop. Hev. est H. IV. 15. — P. 221. ϰ Bootis, pro II. 11 lege III. 11. — ι Bootis est H. V. 9. — P. 229. ξ Librae est triplex H. II. 20 et I. 33 non quintuplex; nam H. II. 21 est alia duplex, nostra 1999. — P. 233. 36 et 37 Herculis = H. V. 72. — Non 16 Draconis sed 17 Draconis = H. I. 4, errore jam ab Herschelio inducto. — 43 Herculis non est H. III. 41, quae est = 100 Herculis. Conferatur H. et S. p. 269. — P. 235. 70 Herculis numquam duplicem vidi, quamvis saepius examinatam. — P. 239. 1 ψ Draconis est H. IV. 7. — 100 Herculis est H. III. 41. — P. 241. 40 et 41 Draconis = H. IV. 67. — P. 245. 48 Draconis non est H. I. 43, sed vicina aliqua exigua. — P. 247. 24 Aquilae non est H. I. 14, quamvis ita Herschelio nuncupata. 24 Aquilae est simplex, at nostram 23 Aquilae pro I. 14 habeo. — 56 Draconis Piazzii. Herschelius quidem 56 Draconis duplicem ait II. 31. At stella 56 Draconis a Piazzio nuncupata est simplex, et stellam nostram 2452, Draconis 233, pro H. II. 31 habeo. — β Cygni est H. V. 5. — P. 249. 16 Cygni est H. V. 46. — P. 251. ε Draconis non est H. IV. 100 sed I. 8. At χ Sagittae est H. IV. 100. — 64 Sagittarii est secundum Herschelium IV. 3, nobis vero examinata non duplex est visa. Besselius autem p. 253 stellam 1 ξ Capricorni H. IV. 3 nuncupat, nescio qua auctoritate, nisi fortasse ex eo, quod in catalogo Herscheliano sit dictum, hanc duplicem esse priorem duarum stellarum, qualis est 1 ξ Capriorni respectu 2 ξ. — P. 255. 1 Delphini non est H. III. 16, quae est P. XX. 177 et 178 etiam in Fundamentis obvia. — De 2 ω et 3 ω Cygni H. IV. 23 et 24 vide p. XIII. Introductionis. — P. 259. 61 Cygni = H. IV. 18. — P. 261. 2 f. Cygni quidem a Herschelio est IV. 22. posita. At simplicem inveni. Probabile est nostram duplicem 59 f. Cygni esse Herschelianam. — P. 263. Non 24 Aquarii est H. IV. 38, quamvis talis Herschelio dicta, sed nostra 2811. — P. 265. μ Cephei non est duplex, et H. IV. 79 est Cephei 147, nostra 2840. — P. 269. Non 1 Lacertae est H. III. 17 sed P. XXII 65, nostra 2894. — 51 Aquarii, pro H. IV. 95 lege H. V. 95. —

Si omnibus stellis satis magnus esset motus proprius, facili negotio stellas physice duplices ab optice compositis discerneremus, cum in illis motus deberet esse communis, dum hae per motum singulis peculiarem distantiam magis minusve mutare viderentur. Cl. Besselius in sectione XII. Fundamentorum probavit inter 2959 stellas, quas et Bradleius et Piazzius observaverunt, adesse in 425 motum proprium quotannis 0″,2 arcus excedentem, seu inter 7 stellas in una. Catalogus supra prolatus stellarum duplicium in Fundamentis occurrentium jam 267 continet stellas, quarum 172 sunt

Herschelianae. Ex his pro 219 stellis est differentia catalogorum duorum completa, et in ascensione et in declinatione cognita, quae in 39 stellii 9″ arcus, seu 0″,2 quotannis, excedit, seu in una ex 5,6 stellis. Ex quo oritur suspicio aliqua motus proprios majores saepius in stellis occurrere compositis, quam in simplicibus. At in nulla stella duplici Herscheliana trium priorum classium talis est cognita inter relationem stellarum variatio per 40 annos inde ab observatione Herschelii ad nostra tempora, quae conveniat motui proprio majoris stellae 8″ excedenti. In una tantum stella classis quartae variatio relativae positionis ex motu proprio cognito partim explicari posse videtur, quae est δ Equulei (4), H. IV. 12, comitante stella perexigua (11). Secundum Herschelium erat major a minore 19″,53 distans sub angulo 11° 39′ A. Pr., secundum cl. Southium est distantia 26″,24 et angulus 48° 3′ A. Pr. Hinc:

	Δ AR.	Δ Decl.
pro 1781,8	— 19″,3	— 3″,9
pro 1825,3	— 17,8	— 19,5
Motus in 43,5 annis:	+ 1,5	— 15,6;
idem in 45 annis:	+ 4,1	— 9,1 secundum Fundamenta.

Non majorem esse congruentiam non mirabimur ob difficultatem mensurarum in comite tam exili, et memores errorum fortuitorum utriusque catalogi. Confer etiam Herschelium II. in Southii obs. p. 279.

Quantus e contrario est numerus stellarum duplicium motu proprio notabili insignium, qui nil in relatione stellarum effecerit. Quod ut melius perspiciatur, stellas duplices supra allatas secundum motus proprii quantitatem in ordines sequentes divisi.

Ordo primus continet stellas, quarum motus annuus ex utriusque catalogi comparatione minor quam 0″,1 in arcu sequitur, quibus itaque nullus etiam motus proprius ratione probabili potest assignari. Numerus earum est 109.

Ordo secundus exhibet 57 stellas, quarum motus proprius inter 0″,1 et 0″,15 quotannis jacet, pro differentia catalogorum inter 4″,5 et 6″,75 in arcu. In his est motus tantum suspicio.

Ordo tertius eas 19 amplectitur stellas, quarum motus inter 0″,15 et 0″,20 quotannis ex differentia catalogorum a 6″,75 ad 9″,0 est pro valde probabili habendus, quae sunt: 49 Piscium, α Piscium, 10 Arietis, ν Ceti, 52 Arietis, 30 Tauri, P. III. 213, ι Orionis, ε Hydrae, 17 Hydrae, π Herculis, 100 Herculis, ε Lyrae, 23 Aquilae, θ Sagittae, γ Delphini, 1 Equulei, ζ Aquarii, 16 Lacertae.

Ordo quartus 16 exhibet stellas, quarum motus proprius annuus est inter, 0″,2 et 0″,3, ex differentia catalogorum inter 9″,0 et 13″,5, qui jam pro indubio est habendus, has: 38 Piscium, ζ Piscium, γ Ceti, P. III. 98, Castor, 12 Canum, ζ Ursae maj., η Coronae, γ Coronae, 17 Draconis, ψ Draconis, 5 Lyrae, θ Serpentis, 57 Aquilae, δ Equulei, μ Cygni.

Ordo quintus 7 stellas habet, quarum motus proprius est inter 0″,3 et 0″,4 quotannis pro differentia catalogorum a 13″,5 ad 18″,0, qnae sunt: θ Persei, γ Leonis, 17 Virginis, 84 Virginis, 49 Serpentis, P. XXII. 219, atque 94 Aquarii.

Ordo sextus 8 stellas offert, quarum motus proprius inter 0″,4 et 0″,6, ex differentia catalogorum inter 18″,0 et 27″,0. Sunt hae: 88 Leonis, γ Virginis, 42 Comae Ber., 44 Bootis, 5 Serpentis, σ Coronae, 17 Cygni, 33 Pegasi.

Ordo septimus tres amplectitur stellas, quarum motus est annuus inter 0″,6 et 0″,8 ex differentia catalogorum inter 27″ et 36″. Sunt 66 Ceti, ξ Ursae maj. et ζ Herculis.

Ordo octavus duas tantum habet stellas motu inter 0″,8 et 1″,0 annuo insignes, pro differentia catalogorum inter 36″ et 45″, nempe 83 Leonis et μ Herculis.

Ordo nonus vero tres illas amplectitur stellas, quarum motus annuus 1″,0 superat, η Cassiopeiae, p Ophiuchi et 61 Cygni.

Exceptis ordinibus 1 ad 3, in 6 sequentibus 39 stellae insunt, quibus indubius est motus proprius. In una δ Equulei cum probabilitate aliqua potest assumi, motum proprium majoris stellae variationem relationis produxisse, qualis est observata. Pro reliquis stellis compositis, jam dudum cognitis, quarum relationes et a Herschelio et 40 annis post a Herschelio II. et Southio nobisque sunt examinatae, ex his collatis probari potest, motum proprium stellae majoris relativam positionem nullo modo affecisse, si excipias stellas 57 Aquilae et 17 Cygni. Nam in 57 Aquilae quidem motus in declinatione ex comparatione indicatur similis ei, quem Fundamenta exhibent, at motus in AR sensus evenit contrarii. Unde ex hac stella nil potest concludi. In 17 Cygni vero comparatio non institui potest, cum nullus sit in catalogo Herscheliano angulus observatus. — Idem probari potest pro novis quatuor stellis duplicibus classis primae, γ Ceti, 42 Comae Berenices, γ Coronae, 33 Pegasi, quae, si motus proprius stellarum relationem mutaret, cum nunc sint vicinae et vicinissimae classis primae, jam dudum pro duplicibus classium sequentium cognitae esse debuissent. Ex 37 itaque stellis in 36 per motum proprium physice compositas agnovimus, cum una δ Equulei probabiliter sit optice duplex.

Si numerus stellarum omnium in diversis magnitudinis ordinibus foret notus, per calculum probabilitatis liceret enucleare, quot stellae optice duplices diversarum magnitudinum inter se conjunctarum per classes nostras in coelo deberent reperiri. Ex collato igitur numero stellarum duplicium censu perfecto inventarum cum summa calculi, certum evaderet judicium de ratione inter numeros stellarum optice et physice duplicium. At astrognosis numquam eo perveniet, ut minimarum stellarum per amplissima telescopia conspicuarum numerus cum certitudine aliqua cognoscatur. Contra numerus stellarum lucidiorum ad quartam usque magnitudinem pro majori parte coeli jam dudum est notus, et ex Uranographia Bodei pro toto coelo poterit inveniri. Sed jam, ubi cl. Hardingius eximium coeli Atlantem ad finem perduxit, ex ipso numerum stellarum ad magnitudinem septimam usque pro parte coeli, quam exhibet, proxime justum reperiri posse, constat. Sejungamus itaque ex catalogo nostro eas duplices, in quibus duae stellae ad magnitudinem septimam usque conjunctae sunt, in quas, enumeratione etiam ex chartis Hardingianis peracta, calculus possit adhiberi. Harum stellarum ita compositarum hic catalogum subjungo secundum classes duplicium, adjectis magnitudinibus.

Stellae duplices lucidae classis I.

NUM. CAT.	N O M E N.	MAGN.
2	Cephei 316 . . .	(6. 7) (6. 7)
13	Cephei 318 . . .	(6) (6)
73	36 Andromedae . .	(6. 7) (7)
91	Ceti 160	(7) (7)
138	P. I. 123	(7) (7)
147	$\varkappa^1$ Ceti	(5) (6)
162		(7) (7)
170		(7) (7)
182		(7) (7)
186	P. I. 209	(7) (7)
202	α Piscium	(2. 3) (4)
227	ι Trianguli . . .	(5) (6)
262	Cassiopeiae 35 Hev.	(4) (7)
314	Persei 85	(7) (7)
333	ε Arietis	(7) (7)
412	7 Tauri	(7) (7)
425		(7) (7)
460	Cephei 49 Hev. .	(5. 6) (6)
559		(7) (7)
572	Aurigae 4	(7) (7)
644		(7) (7)
647	β Eridani	(4) (4)
728	32 Orionis . . .	(5. 6) (6. 7)
743		(6) (7)
774	ζ Orionis	(2) (7)
795	52 Orionis . . .	(6) (7)
919	11 Monocerotis . .	(5) (5. 6)
945		(7) (7)
963	14 Lyncis	(6) (6)
1009	P. VI. 301 . . .	(7) (7)
1177	Cancri 17	(6) (7)
1196	ζ Cancri	(5) (6)
1282	Lyncis 130 . . .	(7) (7)
1291	ι^2 Cancri	(6. 7) (6. 7)
1333		(6. 7) (6. 7)
1334	38 Lyncis	(4) (6. 7)
1338	Lyncis 157 . . .	(7) (7)
1356	ω Leonis	(6) (6. 7)
1424	γ Leonis	(3) (4)
1523	ξ Ursae maj. . . .	(4) (5)
1536	ι Leonis	(4) (7)
1555	P. XI. 111	(6) (6)
1606		(6. 7) (6. 7)
1670	γ Virginis	(3) (3)
1728	42 Comae	(6) (6)
1816		(7) (7)
1834		(7) (7)
1863		(7) (7)
1865	ζ Bootis	(3) (4)
1871		(6. 7) (6. 7)
1877	ε Bootis	(3) (6)
1883		(7) (7)
1890	39 Bootis	(6) (6. 7)
1909	44 Bootis	(5) (6)
1910	P. XIV. 279 . . .	(7) (7)
1932	Coronae 1 . . .	(5) (5)
1937	η Coronae	(5) (5. 6)
1938	P. XV. 74 . . .	(7) (7)
1954	δ Serpentis . . .	(4) (5)
1967	γ Coronae . . .	(4) (7)
1998	ξ Librae	(4. 5) (5)
2021	49 Serpentis . . .	(6. 7) (7)
2032	σ Coronae	(5) (6)
2049		(6. 7) (7)
2054	Draconis 99 . . .	(5. 6) (6. 7)
2055	λ Ophiuchi . . .	(4) (7)
2078	17 Draconis . . .	(5) (5)
2084	ζ Herculis	(3) (7)
2114	P. XVI. 270 . . .	(6) (7)
2118	20 Draconis . . .	(6) (6)
2173		(5) (6)
2180	P. XVII. 147 . . .	(7) (7)
2199		(7) (7)
2245	P. XVII. 300 . . .	(7) (7)
2272	70 Ophiuchi . . .	(4) (7)
2281	73 Ophiuchi . . .	(5. 6) (7)
2289	Herculis 417 . . .	(6. 7) (6. 7)
2294		(7) (7)
2315	Herculis 452 . . .	(7) (7)
2375	Tauri Pon. 75 . .	(6) (6)
2382	ε Lyrae	(5) (6. 7)
2383	5 Lyrae	(5. 6) (5. 6)
2583	π Aquilae	(6. 7) (7)
2742	2 Equulei	(7) (7)
2744		(6) (6)
2751	Cephei 83	(6) (7)
2780	P. XXI. 51 . . .	(6) (7)
2799	Pegasi 20	(6) (6)
2801		(7) (7)
2909	ζ Aquarii	(4) (4)
2912	37 Pegasi	(6) (7)

Stellae duplices lucidae classis II.

NUM. CAT.	N O M E N.	MAGN.
48		(7) (7)
61	65 Piscium . . .	(6) (6)
79	Andromedae 164 .	(6. 7) (7)
470	32 Eridani . . .	(4) (6)
590	55 Eridani . . .	(6) (7)
716	118 Tauri	(6) (6. 7)
738	λ Orionis	(4) (7)
948	12 Lyncis	(6) (7)
958		(6) (6)
1110	Castor	(2. 3) (3. 4)
1223	φ^2 Cancri	(6) (6)
1224	υ^1 Cancri	(7) (7)
1311	Cancri 194 . . .	(7) (7)
1350		(7) (7)
1362		(7) (7)
1669	Corvi 58	(6. 7) (6. 7)
1864	π Bootis	(5) (6)
1962	Librae 178 . . .	(7) (7)
1965	ζ Coronae	(4) (4)
2130	μ Draconis . . .	(5) (5)
2140	α Herculis	(3) (6)
2161	ρ Herculis	(4) (5)
2217		(7) (7)
2276	P. XVII. 362 . . .	(6) (7)
2278		(7) (7)
2404	Tauri Pon. 78 . .	(6) (7)
2523		(7) (7)
2605	ψ Cygni	(5) (7)
2613	Aquilae 210 . . .	(7) (7)
2718		(7) (7)
2789		(7) (7)
2863	ξ Cephei	(4. 5) (6. 7)
2947		(7) (7)
3050	Andromedae 37 . .	(6) (6)

Stellae duplices lucidae classis III.

NUM. CAT.	N O M E N.	MAGN.
180	γ Arietis	(4) (4)
205	γ Andromedae . .	(3) (5)
331	P. II. 220	(5. 6) (7)
401		(6. 7) (6. 7)
550	1 Camelopardali .	(5) (6)
552		(6) (6)
576		(7) (7)
688		(7) (7)
730		(7) (7)
748	θ Orionis	(4) (7)
762	σ Orionis	(4) (6)
845	41 Aurigae . . .	(5) (6)
900	8 Monocerotis . .	(4) (6. 7)
1035		(7) (7)
1065	20 Lyncis	(6. 7) (6. 7)
1122	P. VII. 159 . . .	(7) (7)
1245	P. VIII. 108 . . .	(6) (7)
1349		(7) (7)
1487	54 Leonis	(5) (7)
1516		(7) (7)
1625		(7) (7)
1685	P. XII. 201 . . .	(7) (7)
1888	ξ Bootis	(5) (7)
2204		(7) (7)
2264	95 Herculis . . .	(5) (5)
2280	100 Herculis . . .	(6) (6)
2379	5 Aquilae	(6) (7)
2486	Cygni 6	(6) (6)
2690	P. XX. 177 . . .	(7) (7)
2727	γ Delphini . . .	(4) (5)
2737	ε Equulei	(5) (7)
2822	μ Cygni	(4) (5)
2848		(7) (7)
2873	Cephei 180 . . .	(6. 7) (6. 7)
2922	8 Lacertae . . .	(6) (6)

Stellae duplices lucidae classis IV.

NUM. CAT.	N O M E N.	MAGN.
88	ψ^1 Piscium . . .	(5) (5)
90	77 Piscium . . .	(6) (6)
100	ζ Piscium	(4) (5)
222	59 Andromedae . .	(7) (7)
485		(6) (6)
528	$\varkappa$ Tauri	(5. 6) (7)
533		(6) (7)
653	14 Aurigae . . .	(5) (7)
696	23 Orionis . . .	(5) (7)
747	Orionis 133 . . .	(5. 6) (6)
764		(7) (7)
855		(5. 6) (6. 7)
994	Telescopii 36 . .	(7) (7)
1051		(6. 7) (6. 7)
1062	19 Lyncis	(5) (6)
1138	2 Navis	(6. 7) (7)
1183		(5) (7)
1268	48 ι Cancri . . .	(4) (5)
1315	Ursae maj. 53 . .	(7) (7)
1540	83 Leonis	(6) (7)
1603		(7) (7)
1627	P. XII. 32 . . .	(6) (7)
1657	24 Comae	(5) (6)
1678		(6. 7) (7)
1692	12 Canum . . .	(3) (6)
1694	Camelop. 32 Hev. .	(5) (5)
1744	ζ Ursae maj. . . .	(2) (5)
1850		(6. 7) (6. 7)
1919		(6) (7)
1921		(7) (7)
1964		(6. 7) (6. 7)
1972	π^1 Ursae min. . .	(6) (7)
2010	$\varkappa$ Herculis	(5. 6) (6)
2166		(5) (7)
2202	61 Ophiuchi . . .	(5. 6) (6. 7)
2241	ψ Draconis . . .	(4) (5)
2308	40. 41 Draconis .	(6) (6)
2342	Tauri Pon. 55 . .	(5) (7)
2417	θ Serpentis . . .	(4) (4)
2420	o Draconis . . .	(4) (6)
2594	57 Aquilae . . .	(5) (6)
2703		(7) (7)
2734		(7) (7)
2758	61 Cygni. . . .	(6) (7)
2840	Cephei 147 . . .	(6) (7)
2893		(6) (7)
3044	P. XXIII. 216 . .	(7) (7)

Prima harum classium 91 stellas continet, secunda 34, tertia 35, quarta 47. Idem hic itaque apparet, quod ex catalogo integro deduximus, maximum numerum inter ejusdem generis duplices in prima classe locum habere.

Proponam jam recensum stellarum in chartis Hardingianis a — 15° ad + 90° declinationis obviarum secundum ordines magnitudinum. Quam coeli partem ad hunc finem in tres zonas diviseram primarias: I. a — 15° ad + 30°; II. a + 30° ad + 60°; III. a + 60° ad + 90°. Quaevis zona in regiones divisa est secundum ascensiones rectas.

Numerus stellarum in mappis Hardingianis obviarum.

Zona I. a — 15° ad + 30° declinationis.

A. R.	Magnitudines. (1)	(2)	(3)	(4)	(5)	(6)	(7)	(1) ad (7).	Regiones.
a 0° ad 40°	0	3	10	15	31	188	284	531	A
— 40 — 80	2	4	7	24	62	220	396	715	B
— 80 — 120	2	3	6	19	48	222	547	847	C
— 120 — 160	1	1	5	17	34	215	442	715	D
— 160 — 200	2	1	6	20	49	204	383	665	E
— 200 — 240	0	3	5	19	38	171	326	562	F
— 240 — 280	1	1	9	18	50	245	450	774	G
— 280 — 320	0	0	9	20	72	242	513	856	H
— 320 — 360	1	2	6	13	62	189	317	590	I
Summa .	9	18	63	165	446	1896	3658	6255	

Zona II. a + 30° ad + 60° declinationis.

A. R.	Magnitudines. (1)	(2)	(3)	(4)	(5)	(6)	(7)	(1) ad (7).	Regiones.
a 0° ad 45°	0	1	5	14	36	92	236	384	K
— 45 — 90	1	2	5	5	29	80	205	327	L
— 90 — 135	0	1	0	3	28	99	176	307	M
— 135 — 180	0	3	3	10	26	80	161	283	N
— 180 — 225	0	3	5	3	10	88	153	262	O
— 225 — 270	0	2	5	12	35	79	172	305	P
— 270 — 315	1	1	3	9	50	189	362	615	Q
— 315 — 360	0	1	0	7	26	130	290	454	R
Summa .	2	14	26	63	240	837	1755	2937	

Zona III. a + 60° ad + 90° declinationis.

A. R.	Magnitudines. (1)	(2)	(3)	(4)	(5)	(6)	(7)	(1) ad (7).	Regiones.
a 0° ad 90°	0	0	1	3	15	75	147	241	S
— 90 — 180	0	1	0	3	13	73	101	191	T
— 180 — 270	0	0	3	6	14	74	111	208	U
— 270 — 360	0	0	5	5	33	130	224	397	V
Summa .	0	1	9	17	75	352	583	1037	

Inde a — 15° ad + 90° declinationis.

A. R.	Magnitudines. (1)	(2)	(3)	(4)	(5)	(6)	(7)	(1) ad (7).	
a 0° ad 360°	11	33	98	245	761	3085	5996	10229	

Reperimus itaque in nostra coeli parte 10229 stellas diversarum magnitudinum a (1) ad (7).

Non alienum videtur cum recensu hoc comparare numeros stellarum secundum magnitudines in catalogo Siculo obviarum. Invenimus:

magnitudinis:	stellas:	magnitudinis:	stellas:
(1)	10	(4)	134
(1. 2)	3	(4. 5)	119
(2)	17	(5)	341
(2. 3)	15	(5. 6)	367
(3)	65	(6)	1010
(3. 4)	48		

Videmus apud Piazzium stellarum ejusdem ordinis numerum quam in Hardingii Atlante esse minorem, seu Piazzium stellas minores taxasse. At numeros cujusvis ordinis intermedii si addimus ordinibus primariis immediate praecedentibus, ita ut exempli gratia stellas magnitudinis (4. 5) ad magnitudinem (4) pertinere censeamus, congruentiam egregiam inter utrumque auctorem inveniemus, ad ordinem quintum usque. Nec ultra comparationem licet extendere, cum pro stellis (6. 7) et minoribus Piazzii catalogus non sit pro integro habendus. Sic nobis sunt hi numeri:

	Magnitudines:						
	(1)	(2)	(3)	(4)	(5)	(6)	(7)
Secundum Piazzium	13	32	113	253	708		
— Hardingium	11	33	98	245	761	3085	5996.

Inter numeros vero in ordinibus insequentibus a primo ad quintum eam animadvertimus secundum Hardingium proportionem, ut sequens proxime sit triplex praecedentis. A qua lege alieni sunt numeri ordinis sexti et septimi, quorum summa vero $3085 + 5996 = 9081$ non multum abest a $3 \cdot 761 + 9 \cdot 761 = 9132$; ex quo judicandum videtur stellas plures magnitudinis septimae a Hardingio fortasse esse ordini sexto adscriptas, quarum inde numerus nimius evaserit. Quod si jam hanc legem in magnitudinibus ad septimam usque obtinere accipimus, ut numerus ordinis cujusvis insequentis triplex sit praecedentis, quae a veritate certe non multum abest, ex ea inducimur ad comparationem distantiarum et splendoris stellarum diversae magnitudinis sequentem. Nititur disquisitio haec in suppositione stellas in universum in spatio esse aequaliter distributas, et majores seu minores videri secundum distantiam a systemate solari. Qua cum nil probabilius possit accipi, ex proportione inter numeros stellarum ordinum insequentium sequuntur volumina globorum, quorum superficies stellas septem magnitudinum insequentium sejungunt, esse in proportione numerorum:

$$1 : 1 + 3 : 1 + 3 + 3^2 : 1 + 3 + 3^2 + 3^3 \text{ et sic porro, seu}$$

$$1 : 4 : 13 : 40 : 121 : 364 : 1093.$$

Globorum jam mediorum, qui strata stellarum magnitudinis cujusvis ita bissecant, ut numerus stellarum ejusdem ordinis sit utrimque a superficie idem, sunt volumina in proportione numerorum:

$$\tfrac{1}{2} : 2\tfrac{1}{2} : 8\tfrac{1}{2} : 26\tfrac{1}{2} : 80\tfrac{1}{2} : 242\tfrac{1}{2} : 728\tfrac{1}{2} : \text{ seu}$$

$$1 : 5 : 17 : 53 : 161 : 485 : 1457.$$

Quorum globorum radii sunt numeri distantiis stellarum diversorum ordinum mediis proportionales. At quadrata radiorum sunt in inversa proportione splendoris; seu exprimunt haec quadrata, quot stellae unius cujusque ordinis conjunctae splendorem stellae primi ordinis aequent. Ita nobis hoc evadit schema:

Magnitudines	(1)	(2)	(3)	(4)	(5)	(6)	(7)
Distantiae mediae	1	1,71	2,57	3,76	5,44	7,86	11,34
Splendores	1	0,3421	0,1513	0,0709	0,0338	0,0162	0,0078
Numeri stellarum, quarum splendor conjunctus est idem . .	1	2,93	6,61	14,11	29,59	61,73	128,53

Ad magnitudines infra septimam vero haec non debent extendi, cum inde a magnitudine octava major incipiat inter diversos auctores discrepantia in magnitudinibus stellis assignandis, quae eousque procedit, ut stellas, quae in nostro catalogo sunt magnitudinis (11), (11. 12) et (12), a Herschelio II. et Southio ordinibus a 15 ad 20mum adscriptas invenias.

Si conspectum pag. XXXIII oblatum examinamus, in tribus zonis ibi propositis stellarum numeros proxime superficiebus zonarum proportionales esse animadvertimus. Nam si ex numero integro 10229 numeri singularum zonarum secundum superficiem calculo eruuntur, sunt hi:

6166; 2974; 1089.

At census offert 6255; 2937; 1037.

Aliter res sese habet si singulas inspicimus regiones, cum maximum reperiamus stellarum numerum in illis, per quas transit Via lactea, et in universum numerus augeatur, quo propior ad lacteam sit regio. Sed in majoribus stellis a (1) ad (5) lex ea nondum est manifesta; vestigia ipsius sunt aliqua in ordine sexto; at maximam ad partem numerorum inaequalitates ex ordine septimo oriri apertum est. Pro stellis lucidis ab ordine (1) ad (4) insigne videtur, quam exiguus sit numerus in regione M, quae est constellationis Lyncis et Telescopii, cum eadem pro ordinibus insequentibus inter mediocriter frequentes sit habenda. Supponendum est in hac directione spatium stellis fere vacuum proxime ad Solem accedere, quod ad distantiam stellarum magnitudinis quintae usque extenditur. Pro ordine sexto magnitudinis in regionibus A ad I, K ad P et S ad U exiguae tantum sunt inter numeros differentiae, quamvis per B, C, H atque K et L transeat Via lactea. In solis regionibus Q, R et V est stellarum hujus ordinis insignis accumulatio, quae vero non solum ex positione ad Viam lacteam originem traxit, quae in K, L et S eadem sit ac in Q, R et V. At in stellis magnitudinis septimae manifesta jam est lex, quam summus Herschelius ex tot coeli per telescopia haustionibus (Gaging the heaven) in stellis debilissimis obtinere invenit, scilicet numerum in universum augeri, quo propius ad Viam lacteam accederemus, cum lucidiores multo aequalius in coeli superficie distributae apparerent. Magni momenti foret nosse legem, secundum quam augeretur numerus stellarum ordinis septimi, prout ad Viam lacteam accederemus. Quam poteris cognoscere, si recensum institueris secundum zonas Viae lacteae parallelas ad polos ipsius usque. Sed taeduit hunc laborem denuo suscipere, et in nostrum finem fortasse sufficit animadvertisse, duplicem fere inveniri stellarum hujus ordinis numerum in regione viae lacteae, quam in regione poli ipsius. Haec vero distributionis stellarum in coelo inaequalitas usum calculi probabilitatis in dijudicandis stellarum duplicium naturis aliquanto difficiliorem reddit. Sed fortasse succedit vim distributionis inaequalis in numeros ex calculo acceptos aliquatenus judicare.

Antequam vero conamur numerum probabilem stellarum optice duplicium ex numero census per calculum deducere, eumque conferimus cum numero omnium stellarum in catalogo exhibitarum; opus est disquisitione, num eaedem sint magnitudines stellarum in mappis Hardingianis, quam

quales catalogus noster exhibeat. Si enim exempli caussa stellae, quas cl. Hardingius ordinis octavi facit, nobis forent septimi, numerus stellarum in coelo occurrentium usque ad magnitudinem octavam Hardingianam inclusam fundamentum calculi deberet esse, qui longe major est numero ex censu nostro invento. Ad hanc disquisitionem absolvendam omnium stellarum catalogi nostri, quas nominibus secundum Flamsteedium, Piazzium et Bodeum insignitas reperies, magnitudines cum mappis comparavi, ita scilicet ut, si duae stellae aequales duplicem formabant, magnitudinem semisse majorem quam in catalogo nostro acciperem, eam ab caussam, quod consueveram stellae, quae exempli caussa erat (6) in quaestore, si ex duabus aequalibus composita per magnum tubum apparebat, singulis magnitudinem (6. 7) adscribere. Si H et S sunt magnitudinis notae secundum Hardingium et ex catalogo nostro ex 540 stellis collatis accepimus:

$$540\ S = 540\ H - 79{,}5;\ \text{unde}\ S = H - 0{,}147.$$

Quod vult me per medium stellas $\frac{1}{7}$ notae majores taxasse quam Hardingium. Quae, quamvis exigua, differentia praecipue ex lucidioribus stellis exiisse apparuit, quas non raro paulo majores habuerim. Examinatis deinde stellis tantum minoribus inde a magnitudine (6. 7) evenit ex stellis 287 comparatis:

$$287\ S = 287\ H + 16{,}5;\ \text{seu}\ S = H + 0{,}058.$$

Hinc sequitur me in stellis ordinis (6. 7) et (7) eadem cum Hardingio ad unguem usum esse magnitudine, imo magnitudines in catalogo nostro esse paulo minores, sed vix $\frac{1}{17}$ notae. Nulli itaque dubitamus numerum stellarum magnitudinum (1) ad (7) ex Atlante inventarum pro fundamento calculi accipere, qui potius tantillo esset minuendus quam augendus.

Hac occasione plures occurrerunt stellae, in quibus erat grave discrimen inter H. et S. Quarum hic nomina appono, cum fortasse inducant in stellas aliquas variabiles detegendas. Adjeci vero etiam P et B, i. e. notas magnitudum ex catalogo Piazzii at Uranographia Bodei:

Nomen stellae.	S.	H.	P.	B.	Nomen stellae.	S.	H.	P.	B.
ε Arietis . .	6. 7	4	5	5	Bootis 121	8	6		8
θ Persei . .	4	6	4	4	ξ Bootis . .	5	3	3. 4	4
Camel. 4 Hev.	4	6	5. 6	5	Bootis 103	6	8		8
Tauri 79 . .	8	6		7	P. XVI. 136	8	6	7	6
39 Eridani .	7	5	5	5	P. XVII. 362	6	8	8	
θ¹ Orionis .	4	6	6	6	Herculis 417	6	8		7
41 Aurigae	5	7	7	6	Tauri Pon. 47	5	7		6
19 Lyncis .	5	8	7	5	5 Lyrae . .	5	7	5	6
20 Lyncis .	6	8	7. 8	6	P. XIX. 233	5	7	7	5
Leon. min. 30	7	9		7	f¹ Cygni . .	4	6	5. 6	5
P. IX. 161 .	8	6	8		P. XX. 452	8	6	7	6
65 Urs. maj.	5. 6	8	7	7	Pegasi 129 .	5	7		7
P. XII. 32 .	6	8	7. 8						

Ex quibus stellis ε Arietis, 19 Lyncis, ξ Bootis, 5 Lyrae et P. XIX. 233 prae ceteris attentione dignae videntur.

Si radius globi $= 1$, pars superficiei inclusa a circulo parallelo, qui a polo suo arcu y distat est $4\pi \sin.^2 \frac{1}{2} y$. Sit $y = 105°$ accipimus superficiem partis coeli a $-15°$ declinationis ad polum arcticum usque:

$$S = 4\pi \sin.^2 52\tfrac{1}{2}°.$$

Superficies vero circuli in coelo radio x'' descripto est:

$$\varphi = 4\pi \sin.^2 \tfrac{1}{2} x;$$

unde $\psi = \frac{\varphi}{S} = \frac{\sin.^2 \frac{1}{2} x}{\sin.^2 52\frac{1}{2}°} = A \sin.^2 \frac{1}{2} x$, ubi Log. A $= 0{,}2010666$. Pro arcu exiguo $= x''$ est $\psi = \frac{1}{4} A x^2 \sin.^2 1''$, seu

$$\psi = B \cdot x^2, \text{ ubi Log. } B = 0{,}9701564 - 12.$$

Ex n stellis vero diversis, quae in superficie S inveniuntur ex probabilitate formantur paria $m = \frac{n \cdot n - 1}{2} \psi = N \cdot B \cdot x^2$ inter x'' vicina, seu stellae optice duplices intra x'' distantes. Ponamus jam numerum stellarum ad septimam magnitudinem inclusam ex censu nostro $10229 = n$; et $10229 \cdot 5114 = N$, ex calculo reperiemus stellas lucidiores optice duplices in hac coeli parte:

pro $x = 4$, intra $4''$ distantes $m' = 0{,}007814$;
— $x = 8$, intra $8''$ —— $m'' = 0{,}031256$;
— $x = 16$, intra $16''$ —— $m''' = 0{,}125024$;
— $x = 32$, intra $32''$ —— $m'''' = 0{,}500100$.

Nuncupetur jam pro quavis duplicium classe numerus stellarum optice duplicium ex calculo μ, numerus stellarum ex catalogo supra dato M, et $M - \mu = P$ numerus stellarum physice duplicium. Atque:

in classe I est $M = 91$; $\mu = 0{,}008$; $P = 90{,}992$.
— — II — $M = 34$; $\mu = 0{,}023$; $P = 33{,}977$.
— — III — $M = 35$; $\mu = 0{,}094$; $P = 34{,}906$.
— — IV — $M = 47$; $\mu = 0{,}375$; $P = 46{,}625$.

Ex calculo itaque aeque probabile est inter has 207 duplices repertas nullam esse optice duplicem, quam unam singulam. Sed objiciat aliquis numeros calculi minores esse ex caussa duplici, primum quia desunt stellae in mappis, tum quia in certis regionibus stellae frequentiores sunt. At sumamus pro calculi fundamento loco $n = 10229$ numerum adeo duplicem $n = 20458$, qui certe est justo major, accipimus pro μ numeros quadruplices, seu in universum duas stellas ex lucidis optice duplices in coeli nostra parte, in qua 207 reperimus. Nulli itaque dubitamus hinc concludere: omnes stellas lucidiores duplices classis I et II esse physice duplices, nulla excepta, et in classibus III et IV fere omnes, ita ut in altera vix una, in postrema paucissimae, ex calculo vix duae, sint pro optice duplicibus habendae.

Progrediamur jam ad stellas triplices. Triplex est vocanda stella nostro sensu si duae cum tertia ita sunt compositae, ut utraque eidem tertiae sit intra $32''$ vicina. Quarum stellarum hic est catalogus ex magno extractus:

Catalogus stellarum triplicium.

Numerus catalogi.	Nomen.	Descriptio.
85		II. (8) (10) (11). Triangulum.
117	ϕ Cassiopeiae	IV et I. (4) (8.9) (8.9).
162		I et IV. (7) (7) (9).
217		III et IV. (8) (8) (9).
262	Cass. 35 Hev.	I et III. (4)(7)(9). = H.I.34,III.4.
297		III et IV. (8) (8) (10).
366	Arietis 161	IV et I. (7) (9) (9). Dubium de classe I.
412	7 Tauri .	I et IV. (7) (7) (9.10).
457		I et IV. (8.9) (8.9) (11).
481		I et IV. (7) (9) (8).
484		I. II et IV. (9) (9) (9).
487		II et III. (8) (8.9) (8.9).
496		III et IV. (8.9) (9) (10).
502		II et IV. (8) (8.9) (8.9).
695		II et I. (8) (8.9) (8.9).
748	θ Orionis	III. quintuplex (4) (7) (7) (8) (12) H. III. 1.
762	σ Orionis	II. (10) (4) (6) (7) quadruplex H. II. 10.
780		I et III. (7) (8) (9.10).
883		I et IV. (8) (8.9) (10).
915		II et IV. (8.9) (10)(12). H.II.89.
919	11 Monocer.	I et II. (5)(5.6)(6). H.I.10. II.17.
922		II et IV. (7) (11) (10).
948	12 Lyncis	I et II. (6) (7.8) (7) = H.I.6.
976		IV et IV. (8) (8) (10).
989		II et IV. (9) (10) (11).
996		III et III. IV. (8) (9) (9).
1063		IV et II. (9) (10) (11).
1127		II et IV. (6.7) (8.9) (8.9).
1196	ζ Cancri .	I et III. (5)(6)(5.6). H.I.24,III.19.
1316		II et III. (8) (12) (11).
1327		IV et III. (8) (8.9) (8.9).
1331		I et III. (8) (8) (11).
1455		IV et I. (8.9)(9). Minor ex duabus aequalibus compos.
1508		II et IV. (9) (9.10) (9.10).
1580		II et IV. (9) (10) (12).
1659		III. (8) (8) (11).
1945		II et IV. (8.9) (9) (8.9).
1964		IV et I. (6.7) (6.7) (9). = H. IV. 61.
1998	ξ Librae .	I et II. (4.5) (5) (8). = H. I. 33 et II. 20.
2058		I et III. (8.9) (8.9) (11).
2094		I et IV. (8) (8) et (10).
2300		III et IV. (8)(9.10)(11). Triang.
2335		III et IV. (8.9) (11) (9.10).
2434	P. XVIII. 274	IV et I. (8) (8.9) (10).
2528		III et IV. V. (8) (10) (10).
2544		I et III. (7.8) (9.10) (8).
2670		III et IV. (9)(9)(15). Southii 747.
2816	P. XXI. 248	III et IV. (8.9)(7)(8.9). = H.III.71.
2828		I et IV. (8.9) (8.9) (8).
2892		II et IV. (8) (9) (11).
2914		II et IV. (12) (12) (8).
2976		I. II et III. (8.9) (8.9) (9).

Ex his stellis 52 sunt quadruplex altera σ Orionis, jam diu nota, et altera θ Orionis, nobis primum quintuplex hucusque quadruplex, praeterea Cassiopeiae 35 Hev., 11 Monocerotis, 12 Lyncis, ζ Cancri, ξ Librae et P. XXI. 248 jam Herschelio triplices. Reliquae 44 triplices in lustratione nostra sunt detectae. Ex Herschelianis illis stellis sunt quatuor, in quibus tres lucidae ad magnitudinem septimam usque in triplicem intra 32″ conjunctae appareant, θ Orionis, σ Orionis, 11 Monocerotis et ζ Cancri. Probabilitatis calculum in has stellas adhibeamus.

Ex n stellis diversis tres in eodem esse circulo radii x″ vicibus $\frac{n}{1} \cdot \frac{n-1}{2} \cdot \frac{n-2}{3} \cdot \psi^2 = p$ accidere debet. Si vero vices debent constitui, quibus duae stellae tertiae intra x″ vicinae stent, earum numerus = q necessario est p major, cum talis fingatur triplex si tertia in eodem circulo non solum cum ambabus stellis sed cum altera tantum videatur. Sit, in Figura A tabulae I, c primae stellae locus, stella secunda in b. Describatur circulus radii = 1 ex utroque puncto c et b, et stella triplex occurret, si tertia stella intra alterius circuli cadit peripheriam. Quantitas p supra inventa igitur augenda est in ratione areae totius figurae ad aream circuli singuli = π. Sed haec ratio est variabilis, ideoque ope integrationis pro omnibus distantiis inter b et c inde a 0 ad 1 est quaerenda. Ponamus c b = y. Est probabilitas stellam secundam in distantia y stare = $p \cdot \frac{2\pi y\,dy}{\pi} = 2p\,y\,dy$. Figurae totius aream nucupemus φ^1, est $\varphi^1 = 2\pi - 2$ Arc. cos. $\frac{1}{2}y + y\sqrt{(1-\frac{1}{4}y^2)}$; unde

$$\frac{q}{p} = \int \frac{2y\,dy\,\varphi^1}{\pi} = \int 4y\,dy - \frac{4}{\pi}\int y \text{ Arc. cos. } \tfrac{1}{2}y\,dy + \frac{2}{\pi}\int y^2\sqrt{(1-\tfrac{1}{4}y^2)}$$

pro y = 0 ad y = 1 sumto; seu

$$\frac{q}{p} = 1 + \frac{3\sqrt{3}}{4\pi} = 1{,}413497 = C.$$

Reperiemus itaque ex n stellam triplicem vicibus:

$$q = C \cdot \frac{n}{1} \cdot \frac{n-1}{2} \cdot \frac{n-2}{3} \psi^2.$$

Si radium circulorum = 32″ accipimus, est pro n = 10229:

$$q = C \cdot \frac{10229 \cdot 10228 \cdot 10227}{6} 32^4 \cdot B^2 = 0{,}00023037.$$

At experentia nobis obtulit casus Q = 4, et est $\frac{Q}{q} = 173525$. Quo deducimus probabilitatem, stellas triplices supra laudatas θ Orionis, σ Orionis, 11 Monocerotis, ζ Cancri esse physice compositas, proxime ad certitutidem accedere. Etenim duplex adeo si stellarum numerum universum supponimus, evadit $\frac{Q}{q} = \frac{173525}{8} = 21691$. Ponamus in aequatione:

$$q = \frac{C \cdot n \cdot (n-1) \cdot (n-2) \cdot 32^4 \cdot B^2}{6}, \text{ seu proxime } q = \frac{n^3 \cdot 32^4 \cdot C \cdot B^2}{6}$$

jam $q = \frac{1}{2}$; evadit n = 285300. Inter 285300 stellas igitur in nostra coeli parte nulla lege distributas aeque probabile est nullam inveniri triplicem quam unam. Nulli inde dubitamus, cum hic numerus sit multo major quam stellarum ad magnitudinem (8.9), omnes nostras triplices, quarum singulae non sunt infra magnitudinem (8.9), pro physice conjunctis habere, prae ceteris 12 Lyncis et ξ Librae. Nec inter reliquas deerunt nonnullae ejusdem naturae. Quod confirmatur etiam ex eo, quod animadvertimus non triplices ex classibus IV et IV seu III et III esse plurimas, sed in majori numero inesse classem I, deinde II duplicium.

Afferam jam objecta nonnulla compositionis peculiaris, quae mihi maxima videntur digna attentione, praeter majores triplices Herschelianas supra jam laudatas.

In N. 117. ψ Cassiopeiae est comes ipsa duplex classis I. Similia sunt objecta: N. 366. Arietis 161, IV et I. ex (7) (9) (9); N. 695. II et I. ex (8) (8.9) (8.9); N. 1455. IV et I. (8.9) et (9), comite ex duabus fere aequalibus composita; N. 2434. P. XVIII. 274. IV et I. ex (8) et (8.9) (10); denique N. 2828. I et IV. ex (8.9) (8.9) et (8). Huc etiam pertinent; N. 492. VI et I. ex (6.7) et (9) (9); N. 1514. vide p. XIV; et insignis triplex classis VI N. 1938 μ Bootis (4) cum P. XV. 74. I ex (7) et (7), 1′ 48″ a μ distante; N. 2776. I. II et VI. (8.9) (8.9) et (7) = H. I. 46; N. 2916. I (8.9) (9), minor duarum 1′ distantium; denique N. 3041. VI et I. (7) (8.9) (8.9).

Duas stellas duplices classis primae sibi insigniter vicinas pluries animadvertimus: N. 1165 et 1166. I. (8) (10) et I (8) oblonga, paucis minutis distantes; N. 2057 et 2058. I. (8.9) (8.9) et triplex I et III. (8.9) (8.9) (11), in distantia 2′; N. 3012 et 3013. I. (8) (8) et I (7) (9), stellam duplicem vulgarem classis VI fingentes. Huc referas etiam N. 757 et 758. I. (8) (8) et III. (8) (8), intra 60″ distantes; tum ε et 5 Lyrae I. (5) (6.7) et I. (5.6) (5.6) in distantia 3′,5. Quae objecta mihi tam peculiaria videntur, ut suspicemur systemata singulari modo composita in illis esse animadversa. Luculenter id confirmatur et calculo. Cum sint in toto catalogo 987 stellae duplices classis primae, quaeramus vices t, quibus duae ex his intra 4′ sibi vicinae ex casu debeant videri. Accipimus calculo $t = 987 \cdot 493 \cdot B \cdot 240^2 = 0{,}269$, seu proxime $\frac{1}{4}$. At phaenomenon est vicibus $T = 3$ observatum, ita ut $\frac{T}{t} = 11{,}4$.

Phaenomena hic duo altera singularia jam exhibeo:

N. 2332. Duplex classis III. (8.9) (11). Sed circum stellas nebula jacet oblonga situ regulari, cum aliae stellae in vicino sint nebula expertes. Vide Tab. I.

N. 2422. Duplex classis I. (8) (8), quae est maxima et australis in rhombo eximie regulari, vide Tab. I. Singulae stellae praeter duplicem sunt aequales et magnitudinis (8). Dimensiones rhombi in diario non adscriptas inveni, sed est major paucarum tantum minutarum.

Calculus vero probabilitatis latius etiam potest extendi, ad stellas duplices classis quintae et sextae et ultra. Cum vero compositiones hujus generis non ex nova coeli perlustratione assignare valeam, nulla est caussa cur finis disquisitionis in circulo aequatori parallelo declinationis — 15° ponatur. Quam ideo ad eam coeli partem extendimus, quae in integro Atlante Hardingiano est expressa. Censu igitur ad fines mapparum Hardingianarum australes usque continuato invenimus

in toto Atlante Hardingii:

magnitudinis	(1)	stellas	13;
——	(2)	—	40;
——	(3)	—	123;
——	(4)	—	307;
——	(5)	—	903;
——	(6)	—	3749;
——	(7)	—	7259;

Quarum summa est 12394.

Ex qua igitur summa sunt eruendi numeri parium optice compositorum probabiles in distantiis certis majoribus. Hunc in finem primum est nosse rationem superficiei Atlantis H. ad superficiem haemisphaerii F. At mappae Hardingianae non ubique ad eandem descendunt declinationem australem, sed a 0° ad 40° A. R. ad — 21° declinationis, inter 40° et 240° A. R. ad — 33°; inter 240° et 320° A. R. ad — 32°; denique inter 320° et 360° A. R. ad — 29° declinationis. Hinc accipitur $H = 1{,}5140235\ F = 3{,}0280470\ \pi$. Si jam $\frac{\sin.^2 1''}{3{,}028047} = B'$, ubi log. $B' = 0{,}8899872 - 12$, est:

$$\psi' = \frac{\varphi}{H} = B' x^2.$$

Stella duplex intra distantiarum fines a x″ ad ξ″ ex n stellis eveniet vicibus $\mu = \frac{n \cdot n - 1}{2} \cdot B' (\xi^2 - x^2)$.

Nuncupemus stellas duplices classis quintae eas, quarum singulae a 32″ ad 60″ inter se distant. Ex stellis ad magnitudinem septimam inclusam calculus offert paria $\mu = 1{,}535$ in coelo probabiliter inveniendа. At nota sunt in coelo M = 15 paria, ita ut $\frac{M}{\mu} = 9{,}77$, proxime ad 10.

Stellae lucidiores duplices classis V.

	Nomen stellarum.	Magnitudines.	Distantia.
1	Andromedae 142 .	(7) (7)	46″
2	30 Arietis . . .	(6) (7)	38
3	δ Orionis	(2) (6.7)	53
4	θ^2 Orionis . . .	(5) (6)	55
5	Praec. ι Orionis . .	(6) (7)	37
6	$\varkappa$ Turdi Solitarii .	(6) (7)	35
7	ν Scorpii	(4) (7)	45
8	53 Ophiuchi . . .	(6) (7)	42
9	ζ Lyrae	(5) (6)	44
10	β Lyrae	(3) (7)	46
11	β Cygni	(4) (7)	46
12	16 Cygni	(5) (6)	37
13	57 Aquilae . . .	(6) (7)	36
14	3 Pegasi	(6) (7)	48
15	δ Cephei	(3) (6)	42

Plurimae igitur harum stellarum ex alia caussa sibi tam vicinae apparere debent, quam ex fortuita stellarum in coelo distributione.

Classem sextam stellarum duplicium nominemus earum, quarum singulae a 1′ ad 2′ inter se distant. Pro qua classe calculus dat $\mu = 6{,}439$. At in coelo reperimus M = 15, unde $\frac{M}{\mu} = 2{,}33$. Pro magna parte harum stellarum valent itaque ea, quae supra in classe V sunt dicta.

Stellae lucidiores duplices classis VI.

	Nomen stellarum.	Magnitudines.	Distantia.
1	Ceti 220	(6.7) (7)	1′ 15″
2	Ceti 499	(7) (7)	1 21
3	Alcyone	(4) (7)	1 57
4	Tauri 323 . . .	(6) (7)	1 19
5	65 Urs. maj. . . .	(6) (7)	1 2
6	π Leonis	(5) (7)	1 35
7	δ Bootis	(4) (7)	1 45
8	μ Bootis	(5) (7)	1 48
9	36. 37 Herculis . .	(6) (6)	1 8
10	16. 17 Draconis .	(5) (5)	1 28
11	16h. 52′, +47° 36′	(7) (7)	1 55
12	ν^1. ν^2 Draconis . . .	(5) (5)	1 2
13	Aquilae 151 . . .	(6) (6.7)	1 37
14	θ Sagittae . . .	(5) (7)	1 10
15	o^2 Cygni	(5) (6.7)	1 46

Magnitudines stellarum in utraque classe V et VI pendent ex nostris observationibus, quae sunt in quinque voluminibus observationum Dorpatensium. Easque ita cum Hardingii magnitudinibus convenire, ut stellas non majores posuerim, ratum habeo.

Si quis jam opponet, numeros μ ex calculo deductos esse justo minores propter stellas ordinis septimi non aequaliter in coelo distributas, negari quidem hoc nequit; at certum etiam est non omnes ejus generis compositiones esse notas, cum non raro e duabus stellis vicinis altera sit neglecta. Si vero etiam stellas ordinis septimi excludimus, ex reliquis 5135 stellis in classe V provenit $\mu = 0{,}264$, i. e. ne una quidem duplex. At sunt quatuor in coelo: θ^2 Orionis, ζ Lyrae, 16 Cygni et δ Cephei. Ita in classe VI accipimus $\mu = 1{,}11$ ex calculo. At M est $= 3$, cum inveniantur 36. 37 Herculis, 16 et 17 Draconis, ν^1 et ν^2 Draconis. Et probe est tenendum, dua postrema paria esse ex stellis magnitudinis (5) composita. Si jam μ pro stellis magnitudinum a prima ad quintam quaerimus, quae sunt numero 1386, est $\mu = 0{,}080$; at M $= 2$; et $\frac{M}{\mu} = 25$. Unde de conjunctione inter 16 et 17 Draconis et ν^1 et ν^2 ejusdem constellationis vix poterit dubitari. In classe V vero haec conjunctio physica pro 16 Cygni ex motu proprio utrique stellae communi jam dudum est vindicata. Vide Fundamenta Besseli p. 311.

Classem septimam faciamus jam ex stellis intra 2′ et 5′ vicinis. Rejectis jam prorsus stellis magnitudinis septimae, ex numero reliquarum $= 5135$ prodit $\mu = 7{,}74$, seu stellae optice compositae ex probabilitate vix 8. At hujus classis paria duce Atlante Hardingiano numeravi 17:

Compositae classis VII ex stellis (1) ad (6).

	Nomen stellarum.	Magnitudines.	Distantia.
1	56 Androm. et P. I. 203	(6) (6)	2,9
2	11 et 12 Camelopardali	(5) (6)	3,0
3	39 et 40 Cancri .	(6) (6)	2,6
4	α^1 et α^2 Librae . .	(3) (6)	4,1
5	17 Comae et P. XII. 96	(5) (6)	2,4
6	32 et 33 Comae . .	(6) (6)	3,2
7	15 et 17 Canum .	(6) (6)	5,0
8	Draconis 34 et 35 .	(6) (6)	3,4
9	ε et 5 Lyrae . . .	(5) (5)	3,5
10	Lyrae 135 et anon. .	(6) (6)	4*
11	β Capricorni et P. XX. 79.	(3) (6)	3,5
12	ρ Capricorni et vicina	(4.5) (6)	4,0
13	48 Cygni et P. XX. 243	(6) (6)	3,0
14	Cygni 332 et 334 .	(6) (6)	4,7
15	Cephei 121 et 123 .	(6) (6)	3,0
16	P. XXIII. 38 et 44 .	(6) (6)	3,3
17	Ceph. 351°,2, + 59°,4	(6) (6)	5*

Magnitudines sunt datae secundum Hardingium, exceptis 5 Lyrae, et vicina ad ρ Capricorni. Nam 5 Lyrae, quae certe est (5), ut etiam in catalogo Siculo, in mappis Hardingianis est (7); et vicina ρ Capricorni, quam saepius (6) observavi, ibi est (8). Distantias seu ex catalogo Siculo seu ex Uranographia deduxi, exceptis stellis 10 et 17, quarum distantiae sunt ex charta desumtae. Physice compositas vero inter majores et viciniores ex his stellis inveniri probabile est, unde in stellas α^1 et α^2 Librae, ε et 5 Lyrae, β Capricorni et P. XX. 79 prae ceteris est attentio dirigenda. Ex quibus insignes sunt ε et 5 Lyrae, quae ambae sint duplices classis primae. Conf. p. XL.

Classis octava sit jam stellarum a 5′ ad 10′ distantium. Ex numero stellarum 5135 erit nobis ex calculo $\mu = 27{,}56$, seu stellarum ejusmodi ex casu compositarum vix 28 paria. In coelo vero habemus $M = 38$. Etiam in hac classe itaque numerus experientiae est aliquanto major quam ex calculo.

Compositae classis VIII ex stellis (1) ad (6).

	Nomen stellarum.	Magnitudines.	Distantia.
			′
1	ϱ et 94 Piscium	(5) (6)	7,4
2	29 et 31 Persei	(6) (6)	9,2
3	Tauri 34 et 37	(6) (6)	9,7
4	65 et 67 Tauri	(5) (6)	7,1
5	θ^1 et θ^2 Tauri	(5) (5)	5,7
6	80 et 81 Tauri	(6) (6)	8,5
7	σ^1 et σ^2 Tauri	(5) (5)	7,1
8	Leporis 51 et vicina . . .	(6) (6)	8*
9	42 et 43 Aurigae	(6) (6)	7,7
10	45 et 46 Camelop.	(6) (6)	9,7
11	P. VII. 102 et vicina . . .	(6) (6)	7*
12	ζ et 35 Leonis	(4) (6)	5,2
13	Leonis 240 et 241	(6) (6)	8,8
14	χ^1 et χ^2 Hydrae	(5) (6)	7,6
15	ζ Corvi et P. XII. 47 . . .	(3) (6)	6,1
16	ν^1 et ν^2 Coronae	(4) (4)	6,2
17	14 Ophiuchi et P. XVI. 151 .	(6) (6)	8,0
18	26 Ophiuchi et P. XVI. 248 .	(6) (6)	6,9
19	33 et 34 Ophiuchi	(6) (6)	5,1
20	45 Ophiuchi et P. XVII. 90 .	(4) (6)	9,1
21	47 Ophiuchi et vicina . .	(6) (6)	8*
22	37 et 38 Draconis	(6) (6)	9,3
23	24 Aquilae et P. XIX. 55 . .	(6) (6)	7,1
24	χ^1 et χ^2 Sagittae	(5) (6)	6,1
25	2 et 3 Sagittae	(6) (6)	5,8
26	6 et 8 Vulpeculae	(5) (6)	6,6
27	α^1 et α^2 Capricorni . . .	(3) (4)	6,3
28	o^1 et o^2 Cygni	(5) (5)	5,8
29	γ et 6 Equulei	(5) (5)	6,3
30	37 et 38 Capricorni . . .	(6) (6)	9,7
31	77 Cygni et P. XXI. 265 .	(6) (6)	9,6
32	π et 27 Pegasi	(4) (6)	9,0
33	ϱ et 28 Cephei	(6) (6)	9,4
34	30 Cephei et vicina . . .	(5) (6)	9*
35	Cephei 250 et 251	(6) (6)	8,0
36	83 et 84 Aquarii	(6) (6)	5,3
37	83 Pegasi et 23 Aquarii . .	(6) (6)	5,6
38	4 et 5 Ceti	(6) (6)	9,4

In quatuor stellis asterisco notatis est distantia ex mappis deducta, in reliquis ex catalogis. Magnitudines sunt Hardingianae. Etiam in his stellis maximam compositionis physicae suspicionem habemus in lucidissimis, α^1 et α^2 Capricorni, ν^1 et ν^2 Coronae, ζ et 35 Leonis, θ^1 et θ^2 Tauri.

Nonam denique classem assumamus stellarum a 10′ ad 15′ distantium. Hic jam fines paulo arctiores sumsi, cum in chartis stellas ad magnitudinem quintam usque quaesiverim, et combinatas cum stella magnitudinum ad sextam usque extraxerim. Tales compositiones invenimus 25 in Atlante has:

Compositae classis IX.

	Nomen stellarum.	Magnitudines.	Distantia.
1	27 et 28 Ceti	(5) (6)	10′,9
2	θ et 44 Ceti	(3) (6)	10,1
3	62 Andromedae et anon. . .	(5) (6)	14*
4	σ Persei et P. III. 66 . . .	(5) (6)	12,8
5	10 Tauri et P. III. 98 . . .	(4) (6)	10,2
6	8 et 5 Orionis	(4) (5)	13,8
7	21 et 22 Monocerotis . . .	(4) (6)	11,9
8	64 et 65 Geminorum . . .	(5) (5)	14,3
9	30 Monocer. et 2 Hydrae .	(5) (6)	12,8
10	9 et 10 Leonis minoris . .	(5) (6)	10,4
11	ϱ et 27 Virginis	(5) (6)	11,8
12	ζ Ursae maj. et Alcor . . .	(2) (5)	12,0
13	γ^1 et γ^2 Bootis	(5) (5)	11,2
14	η Draconis et Draconis 99 .	(4) (6)	11,0
15	36 Ophiuchi et 30 Scorpii .	(5) (6)	12,2
16	54 et 56 Ophiuchi	(6) (6)	10,2
17	ξ Serpentis et P. XVII. 156 .	(4) (6)	10,6
18	90 Herculis et P. XVII. 289 .	(5) (6)	13,9
19	P. XVII. 353 et vicina . .	(5) (5)	15*
20	γ^1 et γ^2 Sagittarii	(5) (5)	14,3
21	δ^1 et δ^2 Lyrae	(4) (6)	10,2
22	Cygni 99 et vicina	(5) (6)	13*
23	φ Cephei et 80 Draconis . .	(5) (6)	13,7
24	103 et 104 Aquarii . . .	(5) (5)	12,6
25	ϱ Cassiopeiae et vicina . .	(5) (6)	11,0

Si vero ex 1386 stellis a (1) ad (5) et 3749 stellis (6) numerum μ quaerimus, prodit $\mu = 1386 \cdot (3749 + 693)\, B' \cdot (900^2 - 600^2) = 21{,}50$. Atque etiam hic $M = 25$ est major, quamvis $\frac{M}{\mu}$ sit unitati jam vicina. Etiam haec itaque classis nonnulla fortasse exhibet paria physice composita. Et gratum certe est in postrema hac classe luculenter confirmari hanc opinionem ex indubio motu communi stellarum 36 Ophiuchi et 30 Scorpii, quae 12′,2 inter se distant. De quo motu videndi sunt Piazzius in catalogo, Besselius in Fundamentis p. 311 et South in opere mensurarum p. 353 seq. Similiter vero motus in AR stellae ζ Ursae majoris et Alcori communis nobis est probatus ex collatis observationibus Dorpatensibus cum positione Bradleiana, quamvis in 60 annis 15″ non excedat. Vide, si placet, Obs. Dorp. Vol. I. 2. p. 73. — At ipsa 36 Ophiuchi est duplex classis II et ζ Ursae duplex classis IV.

Non a re alienum videtur numeros μ ex calculo acceptos et M stellarum compositarum in coelo repertarum hic pro novem classibus componere, una cum $\frac{M}{\mu}$.

Classis	I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	VII.	VII.	IX.
μ	0,0095	0,0287	0,1144	0,4599	1,535	6,44	7,74	27,56	21,50
M	91	34	35	47	15	15	17	38	25
$\frac{M}{\mu}$	9579	1184	314	102	9,77	2,33	2,20	1,38	1,17

Stellas tres magnitudinum (1) ad (5) sibi tam vicinas, ut circulo includantur diametri $= 1^\circ$, in Atlante Hardingiano invenimus vicibus 7. Scilicet:

1) δ^1, δ^2, δ^3 Tauri, (4) (4) (5);

2) θ^1, θ^2, 71 Tauri, (3) (5) (5);

3) λ, φ^1, φ^2 Orionis, (4) (5) (5);

4) α^1, α^2, ν Capricorni, (3) (4) (5);

5) ω^1, ω^2, ω^3 Cygni, (5) (5) (5);

6) ψ^1, ψ^2, ψ^3 Aquarii, (5) (5) (5);

7) 103, 104, 106 Aquarii, (5) (5) (5).

At tale phaenomenon ex 1386 stellis debet casu effici probabiliter tantum $\mu = \frac{1386 \cdot 1385 \cdot 1384}{1 \cdot 2 \cdot 3} \cdot 1800^4 \cdot B'^2 = 0{,}2800$ vicibus, unde $\frac{M}{\mu} = \frac{7}{0{,}28} = 25$. Qui magnus numerus id probare videtur, ut vix possit dubitari, quin in his stellis systemata triplicia agnoscamus. Post longum tempus in tali systemate est spes agnoscendi motus proprii communis, cujus fortasse vestigia jam videmus in ψ^1, ψ^2 et ψ^3 Aquarii, cum Fundamenta exhibeant pro 45 annis:

	motum in AR.	motum in Decl.
pro ψ'	+ 20″,7;	+ 3″,2;
— ψ''	+ 5″,1;	+ 3″,5;
— ψ'''	+ 14″,6;	+ 0″,4.

Progrediamur ad examen distributionis stellarum magnitudinum (1), (2), (3) et (4) in toto coelo. Non inexspectatum amplius nobis erit in phaenomena aliqua incidere singularia. Numerus vero omnium stellarum ad quartam usque magnitudem etiam pro regionibus horizontem Europae non tangentibus ex Bodei Uranographia satis notus videtur. Sunt enim:

magnitudinis	(1)	(2)	(3)	(4)	(1) ad (4).
stellae ex Atlante Hardingiano . .	13	40	123	307	483;
stellae australiores ex Uranographia	5	12	54	69	140;
stellae in toto coelo	18	52	177	376	623.

Has vero stellas inter coelum boreale et australe fere aequaliter divisas reperimus. Sunt enim:

magnitudinis .	(1)	(2)	(3)	(4)	(1) ad (4).
stellae boreales	9	26	76	195	306;
stellae australes	9	26	101	181	317.

Si jam G est superficies totius globi, evadit

$$\psi = \frac{\varphi}{G} = \text{sin.}^2 \tfrac{1}{2} x.$$

At stella duplex, cujus singulae x'' distant, ex n stellis ejusdem magnitudinis formabitur vicibus $\frac{n \,.\, n-1}{1 \,.\, 2}$ sin.$^2 \frac{1}{2} x = \mu$. Sit $\mu = 1$, est sin. $\frac{1}{2} x = \gamma \left(\frac{2}{n \,.\, (n-1)}\right)$. Pro duplice formanda ex duabus stellis magnitudinum diversarum, quarum sunt numeri n et ν, est similiter $n \,.\, \nu$ sin. $\frac{1}{2} x^2 = \mu$. Seu pro $\mu = 1$, sin. $\frac{1}{2} x = \frac{1}{\gamma n \,.\, \nu}$. Quibus formulis et numeris stellarum in toto coelo a (1) ad (4) obviarum superstructa est tabula haec:

Ex calculo probabilitatis semel accidit in coelo,

ut duae stellae magn.				(1)	et	(1)	sibi sint vicinae intra	9°	16′,4
—	—	—	—	(1)	et	(2)	— — — —	3	44′,8
—	—	—	—	(1)	et	(3)	— — — —	2	1′,8
—	—	—	—	(1)	et	(4)	— — — —	1	23′,6
—	—	—	—	(2)	et	(2)	— — — —	3	8′,8
—	—	—	—	(2)	et	(3)	— — — —	1	11′,6
—	—	—	—	(2)	et	(4)	— — — —	0	49′,6
—	—	—	—	(3)	et	(3)	— — — —	0	55′,1
—	—	—	—	(3)	et	(4)	— — — —	0	26′,6
—	—	—	—	(4)	et	(4)	— — — —	0	25′,8.

Quae tabula jam est cum coelo ipso comparanda.

Duae stellae ordinis primi intra 9° 16′,4 sibi vicinae non in coelo inveniuntur, nec ullam stellam (2), (3), (4) stellae ordinis (1) intra fines in tabula datos vicinam reperies. Ex quo deducitur, nullam adesse caussam, cur conjunctionem aliquam inter stellas ordinis primi cum aliis ordinum insequentium ad quartum usque accipiamus. Inimicitias potius quam amicitias in his splendidissimis stellis animadvertimus. Scilicet hic non de stellis tam vicinis, ut nudo oculo simplices fiant, est sermo. Nam quis de stellis Castoris, γ Virginis et de α Centauri (1) cum comite (4), 21″ distante secundum de la Caillium, physice conjunctis dubitabit amplius. Singulare tamen phaenomenon in constellatione Crucis offertur in coelo australi. In qua constellatione invenies stellam unam magnitudinis (1), duas (2), unam (3) et unam (4) ita compositas, ut omnes insint circulo radio 3° 1′ descripto. Cujus circuli est superficies $\frac{G}{1443,3}$. Unde in spatio ejusmodi circuli in coelo quinque stellae tales conjunctae inveniri debent ex calculo vicibus:

$$\mu = \frac{18 \,.\, (26 \,.\, 51)\; 177 \,.\, 176}{1443,3^4} = 0{,}000366.$$

Cujus numeri duplex est probabilitas compositionis Crucis ex casu $= 0{,}000732 = \frac{1}{1366}$. Nam tale phaenomenon est ad genus numerandum, in quo toties intra quam extra finem datum phaenomenon ex casu possit oriri.

Quod jam ad stellas ordinis secundi attinet, phaenomenon singulare nobis offerunt stellae tres in Zona Orionis δ, ε, ζ, extremae a media 1° 26′ et 1° 18′ distantes. At semel tantum ex calculo inveniri deberent duae stellae intra 3° 9′ vicinae, cum hic in circulo radio 1° 26′ descripto tres reperiantur. Ex stellis vero 52 magnitudinis secundae duas tertiae esse intra 1° 26′ vicinas ex calculo

vicibus accidere debet $\mu = 1{,}4135 \cdot \frac{52 \cdot 51 \cdot 50}{1 \cdot 2 \cdot 3} \sin.^4 43' = 0{,}000765$. Cujus duplex est probabilitas phaenomeni in Zona obvii Orionis ex casu $= 0{,}00130 = \frac{1}{769}$.

Pro utroque phaenomeno et Crucis et Zonae Orionis tam exigua est ex casu probabilitas, ut in his constellationibus nexum aliquem inter stellas assumere coacti simus.

Duas stellas (3) inter 55′,1 vicinas semel ex calculo reperire debemus, cui conveniunt in coelo australi stellae β et γ Arae, 51′ inter se distantes.

Stellam deinde (3) stellae (4) intra 26′,6 vicinam semel invenire deberemus. At phaenomenon quater in coelo adspicitur in stellis:

α^1 et α^2 Capricorni,	quarum distantia	$= 6'{,}3$
β^1 et β^2 Sagittarii	— —	$21'{,}3$
ζ^1 et ζ^2 Scorpii	— —	$9'{,}5$
μ^1 et μ^2 Scorpii	— —	$7'{,}0$.

Quodsi β^1 et β^2 Sagittarii, quae nil inspectati offerunt, omittimus, tria reliqua paria eo sunt insignia, quod distantiae sunt intra 10′. Jam stellae inter 10′ distantes, altera (3) altera (4), ex casu vicibus formari deberent $\mu = 0{,}141$; at occurrunt vicibus $M = 3$, seu $\frac{M}{\mu} = 21{,}3$. Unde etiam in his tribus stellarum paribus non possumus, quin nexum suspicemur.

Denique duae stellae (4) intra 25′,8 distantes semel in coelo occurrere debent, quod phaenomenon offerunt δ^1 et δ^2 Tauri, 17′,6 distantes. Praeterea vero invenimus ν^1 et ν^2 Coronae 6′,2 distantes, cujus phaenomeni ex casu oriundi foret probabilitas $\mu = 0{,}115$. Sed de magnitudine stellarum potest dubitari, cum in Atlante Hardingiano quidem ν^1 et ν^2 Coronae sint (4) et (4), in Uranographia et catalogo Siculo vero (5) et (5).

Secundum Hardingii Atlantem in constellatione Pleiadum inveniuntur, praeter Alcyonem (4), 6 stellae (5), 5 stellae (6) et 32 stellae (7), seu 44 stellae intra circuli ambitum radio 1° descripti. Pro quo phaenomeno invenitur probabilitas ex casu secundum stellas in mappis inventas:

$$\mu = 2 \cdot 307 \cdot \frac{903 \ldots 898}{1 \ldots 6} \cdot \frac{3749 \ldots 3745}{1 \ldots 5} \cdot \frac{7259 \ldots 7228}{1 \ldots 32} \cdot B'^{43} \cdot 3600^{86} = \frac{1}{4{,}409 \cdot 10^{50}},$$

sumto Log. B′ ex pag. XL.

Peculiaris fuerat finis summi Herscheli, cum stellas duplices in coelo quaereret, parallaxem annuam in stellis noscere ex mutata inter singulas relatione. Non constat immortalis scrutatoris observatione aliquid hac in re esse effectum. Nuper Herschelius II. astronomorum attentionem hanc in methodum denuo direxit. Perlustratio vero nostra eo mihi videtur inservire, ut principia ipsius accuratius constituere valeamus.

Cum omnes fere duplices classis I et maxima pars in classe II pro physice conjunctis sint habendae, ejusmodi stellae non sunt, in quibus parallaxis effectus possit apparere. Etiam in classe tertia

physice quam optice conjunctae stellae saepius occurrunt. Hinc apparet in stellis classium III et IV valde inaequalibus prae reliquis, tum in similibus classis V et VI observationes ad parallaxem spectantes esse instituendas. Effectus parallaxis vero tum ex distantia periodice mutata tum ex mutata directione, angulo positionis, poterit agnosci. Secundam methodum nuper proposuit cl. Herschelius II, de cujus praestantia prae methodo distantiarum nullum foret dubium, si stellas classium primarum duplices adhibere liceret. At tum quia ad stellas inter se remotiores est recurrendum, tum quia stellae magnitudine diversissimae sunt observandae, angulorum observatio incertior fit. Constat enim anguli directionis mensuram in stellis valde inaequalibus esse difficiliorem quam in aequalibus. His perpensis utraque methodus eandem mihi videtur offerre certitudinem, si adhibeas micrometrum filare ad disquisitionem tam subtilem idoneum. At parallaxes sunt in lucidissimis stellis ordinum (1), (2) et (3) quaerendae, quae in universum sint Soli propiores, quam stellae ordinum sequentium. At vero in paucis tantum ex his stellis lucidissimis comites reperies ad finem nostrum idoneas. Ita β Orionis classis II, ex stellis (1) et (9), magna probabilitate est pro systemate stellarum physice conjunctarum habenda. Sed α Lyrae, quam stellula (11), 42″ distans, comitatur, α Andromedae, cui similis exigua est vicina, et aliae stellarum compositiones hujus generis sunt, in quibus mea opinione ut parallaxis effectus detegatur est spes aliqua.

Catalogo nostro et maxima hujus Introductionis parte typis jam expressis, nonnullarum coeli regionum denuo examinandarum alteras perfecimus lustrationes, cum priores aere minus secundo essent institutae. Ex quibus supplementum composuimus catalogo annexum, 47 stellas duplices continens *). Si stellas in eo contentas respicimus, numeri stellarum in quatuor classibus obviarum ex catalogo p. X oblati, jam in hos sunt mutandi:

Classis	I	sunt stellae	1007
—	II	— —	687
—	III	— —	665
—	IV	— —	745
		Summa	3104.

Cui summae addendae sunt 6 stellae informes et duae ex errore bis in catalogum inductae, ut numerus totus 3112 evadat. Sed etiam numeri stellarum per diversas horas et classes digestarum in nonnullis sunt aliquanto majores, unde schema p. VIII oblatum hic repetisse juvat.

*) Occasione hac etiam in stellas nostri catalogi Nr. 1530 = II. (8) (8); Nr. 1788 = I. (7) (8); Nr. 1799 = I. (7. 8) (9); Nr. 1968 = III. (9) (9. 10); Nr. 2076 = II. (8. 9) (9) incidi, quae receptae erant ex Besseli auctoritate.

Conspectus catalogi totius una cum supplemento secundum classes et horas ascensionis rectae.

Horae.	Classes.							Informes.	Summa.
	I.	I. II.	II.	II. III.	III.	III. IV.	IV.		
0	21	0	24	2	20	2	24	0	93
I.	35	1	27	7	20	3	33	0	126
II.	44	3	28	5	31	5	20	0	136
III.	51	3	28	2	31	3	26	0	144
IV.	42	6	34	1	26	3	36	0	148
V.	58	10	33	11	37	9	51	0	209
VI.	42	9	39	3	36	5	36	1	171
VII.	43	8	34	4	28	4	40	0	161
VIII.	36	5	25	2	25	2	31	2	128
IX.	31	1	20	3	16	3	20	0	94
X.	27	5	22	1	19	4	24	0	102
XI.	29	5	21	2	23	3	18	0	101
XII.	32	2	20	6	25	4	33	0	122
XIII.	27	7	15	0	14	0	20	0	83
XIV.	50	5	17	0	19	1	24	0	116
XV.	36	0	25	2	21	5	22	0	109
XVI.	50	4	18	4	14	4	30	0	124
XVII.	52	3	28	4	25	5	36	1	154
XVIII.	55	6	28	5	38	6	40	1	179
XIX.	55	7	32	5	31	5	40	0	175
XX.	43	4	26	0	24	0	33	0	130
XXI.	34	2	16	0	21	7	23	0	103
XXII.	30	10	23	1	29	0	22	1	116
XXIII.	30	3	16	1	13	4	19	0	86
Summa	953	109	597	71	586	87	701	6	3110

Stellas vero duplices trium primarum classium et lucidiores classium III. IV et IV, inde a polo ad — 5° declinationis usque in coelo repertas, in mappa delineavimus, quam exhibet tabula secunda huic libro annexa. In votis erat ex delineatione ferre judicium de distributione stellarum compositarum in coelo. Natura projectionis electae primo intuitu ex tabula elucet, neque aliam projectionem in scopum nostrum adhibere valebam, quam quae partibus ejusdem in coelo areae in mappa etiam areas fere aequales assignaret. Stellas inter — 5° et — 15° rejectas esse, caussa exstitit, quod in hac zona plures stellas me invito ob aeris conditionem omissas esse constabat. Eadem fuit

caussa, cur classem IV rejecerim, quam completam non esse supra est expositum. Praeterea ratum erat majorem partem stellarum in ea classe occurrentium, praecipue ex valde inaequalibus, esse mere optice compositarum. Unde idoneum duxi duplices ex classibus III. IV et IV eas solas in charta delineare, quarum minor non erat infra magnitudinem octavam. Mappae porro intulimus delineationem Viae lacteae secundum Bodei Uranographiam, cujus polus borealis est circiter in AR = XII h. 15′ et Decl. = + 35°, in constellatione canum venaticorum prope stellam 2 Hev.

Elucet ex delineatione stellas duplices in omnibus inveniri coeli partibus. Sed minor est numerus in regionibus a Via lactea distantioribus, in quibus et numerus stellarum omnium est minor. Ita in constellatione Ursae majoris ad Boream a polo lacteae, in cauda Draconis, in Leone minore et Canum parte boreali duplices sunt minime frequentes. A qua regione si propius ad Viam lacteam accedimus, crescit in universum stellarum duplicium numerus, h. e. ut regiones spectamus, in quibus omnium stellarum est numerus major. Sed etiam Viae lacteae sunt partes, in quibus stellae duplices non saepius occurrant, quam in ipsius poli regione, nempe in parte ejus inde a XXI h. ad I h. ascensionis rectae, quae per caudam Cygni, Lacertam, Honores Friderici, sceptrum Cephei et mediam transit Cassiopeiam. In constellationibus vero ab hac Viae lacteae parte ad Austrum jacentibus, inter XXI h. et 0 h. ascensionis et + 25° et + 50° declinationis, ad Pegasi partem borealem et caput usque Andromedae, duplices stellae rariores etiam sunt, quam in ipsa poli lacteae regione. Ditissimam stellis duplicibus regionem a XVIII h. ad XX h. invenimus in ipsa Via lactea, in Anseris, Sagittae et Vulpeculae constellationibus, magis etiam ad Boream a lactea in Vulture et Lyra. Regio altera ditissima, quamvis minor, est in margine boreali viae lacteae a II h. ad IV h. ascensionis, quae, ut ita duam, scatet duplicibus classis I. Nam certe miraberis quatuor duplices classis I, 384; 385 = Camelop. 2 Hev.; 389; 400 intra gradus quadratici spatium sibi vicinas in infima parte Camelopardali. In ipsa Via lactea ab hac regione ad Austrum duplices minus frequentes apparent, cum in constellationibus magis ad Austrum versus, in Arietis capite et dorso, in dorso Tauri, Musca et Triangulo et pede altero Persei permultae reperiantur duplices. Frequentissimae sunt denique duplices in Orione, lacteam praecedente, constellatione phaenomenis mirabilibus tam divite. Ipsa vero insequens Via lactea in Monocerote paucas tantum offert stellas duplices. Nec multo minor, quam in Orione, est frequentia stellarum duplicium inter cornua Tauri et in Geminis, qui tangunt Viam lacteam, atque in constellationibus longius ad Boream recedentibus, Aurigae, Telescopii et Lyncis, quamvis egenis stellarum lucidarum.

Folia sex mappae nostrae per literas A ad F designata sunt. In margine folii D praecedente cum jaceat polus Viae lacteae, situs foliorum C et D est idem respectu Viae lacteae, idem in A et F, idem denique in B et E. Itaque si numerus stellarum duplicium primo loco pendet a situ regionis ad Viam lacteam, idem debet esse proxime in foliis correspondentibus, minimus in C et D, per quae non transeat lactea, major in A et F, per quae lactea breviori transeat tractu, maximus in B et E, quae lactea secet tractu longiori. Invenimus etiam in mappa nostra:

in C stellas	325;	in D stellas	310;
— A —	388;	— F —	317;
— B —	480;	— E —	469;
Summa	1193;		1096.

In C et D, tum in B et E sunt numeri proxime iidem. At discrimen satis magnum est inter numeros in A et F. In folii F regione itaque stellas duplices minus frequentes esse pro situ concludimus, idque eo magis, quod, tractu Viae lacteae accuratius inspecto, nulla adesse videtur caussa, cur stellarum numerus in F minor sit non solum quam in A, sed etiam quam in E, cui folio numerus vero stellarum duplicium est sesquialter.

Conclusiones his similes colliguntur examine conspectus totius catalogi supra allati instituto. Ditissima est hora V, 209 stellas offerens; sequuntur deinde horae XVIII, XIX et VI, stellas exhibentes 179; 175; 171. Per quas horas Via lactea longiori transit tractu. Minimus est numerus in hora XIII, quae 83 stellas habet, polo Viae lacteae vicina, deinde in hora 0, stellas 93 offerenti, quamvis a Via lactea inter 50° et 60° declinationis bissecta. Penuria horae primae luculentius etiam apparet si solam classem I duplicium respicimus, quarum 21 tantum exhibet, cum horae proximae adeo ad polum lacteae, XII et XIII, stellas offerant 32 et 27. Sensu contrario horam XIV stellis primae classis egregie plenam animadvertimus, cui 50 duplices ejus generis insint, quamvis utrimque vicinae XIII et XV stellas exhibeant tales 27 tantum et 36. Solae horae III, V, XVII, XVIII et XIX numerum stellarum classis I paululo majorem offerunt, quam XIV. Demtis vero stellis classis I, eadem hora XIV est ex pauperrimis, si sequentes respicimus classes.

NUMERUS.	NOMEN STELLAE.	A. R.	DECL.	DESCRIPTIO.	NUM. C. P.
		′	° ′		
1		0 h. 0,0	+ 36 15	II. (8.9) (9).	
2	Cephei 316 . .	— 0,0	+ 78 45	I. (6.7) (6.7), vicinae.	
3	Andromedae 51 .	— 0,4	+ 45 25	II. (7.8) (10) = H. II. 83.	1
4		— 0,9	+ 7 29	II. (9). Besseli, mihi non inventa.	
5	34 Piscium . .	— 1,1	+ 10 10	III. (6) (10). Etiam Besseli.	
6		— 1,4	+ 3 57	III. IV. (8) (11). Duarum sequens bor. min.	
7		— 2,4	+ 55 0	I. (8.9) (9).	
8	Ceti 27	— 2,6	— 4 2	II. (8) (9.10).	2
9		— 4,8	+ 48 38	IV. (8.9) (8.9).	
10		— 5,6	+ 61 53	IV. (8) (8).	3
11		— 5,6	+ 77 3	II. (8) (11). Maxima plurium.	
12	35 Piscium . .	— 6,0	+ 7 51	III. (6.7) (8). = H. III. 62.	4
13	Cephei 318 . .	— 6,3	+ 76 1	I. (5.6) oblonga ex aequalibus (6) (6).	
14		— 6,8	— 12 57	III. (9) (10).	
15		— 7,0	— 6 34	II. (7.8) (10).	
16		— 7,3	+ 53 41	II. III. (8) (10).	
17		— 7,4	+ 28 21	IV. (8.9) (9).	
18		— 7,5	+ 66 40	I (8) (9). Altera minor praeit.	
19		— 7,9	+ 35 40	I. (7) (10), vicinae.	
20		— 8,3	+ 15 32	III. (7) (9). Altera est austr. Etiam South. 383.	
21		— 8,4	+ 1 22	III. (9) (9). Media trium.	
22	38 Piscium . .	— 8,4	+ 7 53	II. (7) (8) = H. II. 50.	5
23		— 8,4	— 0 38	III. (8) (9.10). Prior duarum.	
24	Andromedae 69 .	— 9,6	+ 25 12	III (7) (8).	
25		— 9,9	+ 15 2	I. (8.9) (8.9), pervicinae.	
26		— 11,7	+ 66 1	IV. (8) (10).	
27	42 Piscium . . .	— 13,5	+ 12 31	IV. (7) (10).	
28		— 14,7	+ 28 34	IV. (8) (8).	
29		— 16,	+ 31 31	II. (10) (11). South. 385, mihi non inventa.	
30	Cassiopeiae 49 .	— 17,8	+ 49 4	IV. (7) (9).	
31		— 19,8	+ 40 31	II. Duae sequuntur, altera boreal. alt. austr.	
32	49 Piscium . .	— 21,8	+ 15 4	III. (7) (11).	
33		— 22,1	+ 33 8	I. (8) (8.9).	
34		— 22,7	+ 77 10	II. (8.9) (8.9).	
35		— 22,7	— 3 1	II. (9) (9). Duarum sequens.	
36	51 Piscium . .	— 23,3	+ 5 59	IV. (4) (9) = H. IV. 70.	7
37		— 23,3	+ 14 41	II. III. (9). Besseli, mihi non inventa.	
38		— 25,6	+ 57 43	III. (8.9) (9)	
39		— 25,9	— 5 31	IV. (7) (8). Etiam Besseli.	
40	Andromedae 112 .	— 26,0	+ 35 52	III. (7) (8).	

NUMERUS.	NOMEN STELLAE.	A. R.	DECL.	DESCRIPTIO.	NUM. C. P.
		′	° ′		
41		0 h. 26,0	+ 38 12	III. et V. (8) (11) (11).	
42		— 26,7	+ 29 5	II. (8) (8).	9
43		— 26,9	+ 59 34	II. (8.9) (9).	
44		— 29,0	+ 40 2	II. (7.8) (8.9).	
45	Cassiopeiae 63 .	— 29,5	+ 46 1	III. (7) (11).	
46	53 Piscium . . .	— 30,8	+ 20 29	III. (5) (8.9). Etiam Besseli.	
47	Andromedae 125 .	— 31,2	+ 23 5	IV. et VI. (6.7) (8) (9).	
48		— 31,8	+ 70 24	II. (7) (7).	
49		— 32,0	— 8 14	II. (6) (10).	
50		— 32,7	+ 76 15	IV. (8) (11).	
51		— 34,5	+ 16 25	I. (8.9) (9).	
52		— 34,6	+ 45 19	I. (8) (9), vicinae.	
53		— 34,6	— 1 49	IV. (8.9) (10).	
54		— 34,8	+ 32 36	III. (9) (10).	
55		— 35,0	+ 32 40	I. (8) (8.9), vicinae.	
56		— 35,1	+ 32 36	III. IV. (8.9) (9.10).	
57		— 35,8	+ 71 44	II. (9) (9.10). 1′ temporis praeit altera (5).	
68		— 36,4	+ 9 22	IV. (8) (9).	
59	P. O. 181 . . .	— 38,0	+ 50 29	I. (8) (9) = H. I. 40.	14
60	„ Cassiopeiae . .	— 38,5	+ 56 53	III. (4) (8) = H. III. 3.	15
61	65 Piscium . . .	— 40,5	+ 26 47	II. (6) (6) = H. II. 84.	16
62		— 40,7	+ 34 52	III. (8.9) (9).	
63		— 41,0	+ 10 56	III. (8) (11).	
64		— 41,7	+ 40 16	I. (8.9) (9). Lucida sequitur in parallelo.	
65		— 41,8	+ 67 54	I. (8) (8). Etiam H. et S. 10.	
66		— 41,9	+ 35 5	IV. (8) (11).	
67		— 42,9	+ 9 39	I. (8) (9) vicinae.	
68		— 43,1	— 9 5	II. (8) (10).	
69		— 43,5	+ 82 44	IV. (8) (9).	
70		— 43,7	+ 51 46	III. (7.8) (11).	
71		— 44,2	+ 4 3	II. (8.9) (10).	
72		— 45,0	+ 38 14	IV. (8) (9).	
73	36 Andromedae .	— 45,6	+ 22 41	I. (6.7) (7), aureae vicinissimae.	
74		— 45,7	+ 8 28	I. (8) (9).	
75		— 46,1	+ 12 35	I. (8) (10).	
76		— 47,3	+ 9 44	I. (8.9) (12). Difficillima.	
77		— 49,0	+ 25 58	II. (9) (9).	
78		— 50,1	+ 4 27	I. II. (9) (9), duarum borealior.	
79	Andromedae 164 .	— 50,3	+ 43 49	II. (6.7) (7). = H. N. 45.	18
80	P. O. 251 . . .	— 50,5	— 0 9	IV. (7) (8).	19

NUMERUS.	NOMEN STELLAE.	A. R.	DECL.	DESCRIPTIO.	NUM. C. P.
		′	° ′		
81		0 h. 51,2	— 2 57	IV. (7.8) (11).	
82		— 51,6	+ 8 34	I. (8.9) (9), vicinae.	
83		— 53,3	+ 49 26	IV. (8) (10).	
84	26 Ceti	— 54,8	+ 0 26	IV. (7) (10) = H. IV. 83.	20
85		— 55,6	— 6 14	II. (8) (10) (11). Triang. Prior paulo min. duar.	
86		— 56,1	— 6 23	III. (8) (8) = H. III. 73.	21
87		— 56,3	+ 14 28	II. (8) (8). Media trium. Etiam Besseli.	
88	ψ^1 Piscium . . .	— 56,3	+ 20 32	IV. (5) (5) = H IV. 9.	22
89		— 56,4	+ 79 25	III. IV. (8.9) (9).	
90	77 Piscium . . .	— 56,7	+ 3 59	IV. (6) (6) = H. IV. 68.	25
91	Ceti 160 . . .	— 58,3	— 2 40	I. (7) (7).	28
92		— 59,1	+ 44 19	IV. (8) (10.11).	
93	α Ursae minoris .	— 59,3	+ 88 23	IV. (2) (9.10) = H. IV. 1.	27
94		1 h. 0,8	+ 15 41	III. IV. (8.9) (8.9).	
95		— 1,5	— 5 44	III. (8) (9).	
96	P. O. 312 . . .	— 1,6	+ 64 6	I. (7.8) (8.9).	
97		— 1,7	+ 50 37	II. (8.9) (8.9). Nisi Decl. = 56° 37′?	
98		— 3,2	+ 31 10	IV. (7) (8) = H. IV. 120.	30
99	φ Piscium . . .	— 4,4	+ 23 40	II. (5) (11). Objectum subtile.	
100	ζ Piscium . . .	— 4,6	+ 6 39	IV. (4) (5) = H. IV. 8.	32
101		— 5,0	— 8 34	IV. (8) (9) = H. IV. 77.	33
102		— 5,5	+ 48 8	II. III. (7) (8). Altera II. III. in vicinia.	
103		— 6,8	— 2 16		
104		— 7,1	+ 37 33	II. III. (8) (9.10).	
105		— 7,5	+ 65 16	I. (8) (9). Altera I. (9) (10) praeit ad Austrum.	
106		— 7,5	— 8 4	I. (8.9) (8.9). Etiam Besseli.	
107		— 8,2	+ 20 11	II. (8) (9).	
108	Andromedae 194 .	— 8,9	+ 36 28	II. (6.7) (10).	
109		— 8,9	+ 63 0	II. (8.9) (9).	
110		— 9,1	— 13 15	II. (8.9). Besseli, mihi non inventa.	
111		— 9,3	— 5 16	III. (8.9) (9.10).	
2867		— 1,3	+ 7 4	II. (7.8) (9). Etiam Besseli.	
2868		— 1,3	+ 21 42	I. (8) (8.9), pervicinae.	
2869	Pegasi 129 . . .	— 1,7	+ 13 47	IV. (5) (11).	
2870		— 2,2	+ 60 16	II. (8) (9).	
2871		— 2,2	— 2 5	III. (8.9) (9).	
2872	P. XXII. 11. 12 .	— 2,7	+ 58 27	IV. (7.8) (7.8).	742
2873	Cephei 180 . .	— 4,3	+ 82 1	III. (6.7) (6.7).	743
2874		— 4,3	+ 73 41	II. (8) (11). Prior major duarum.	
2875		— 4,4	— 8 39	III. (8) (12).	
2876		— 4,5	+ 36 48	III. (8) (10).	744
2877	P. XXII. 33 . .	— 5,6	+ 16 21	II. (6.7) (10).	
2878	Pegasi 148 . . .	— 5,8	+ 7 5	I. (6.7) (7.8).	
2879		— 5,8	+ 62 33	I. (8) (8), pervicinae.	
2880		— 5,9	+ 58 52	II. (8.9) (10).	

NUMERUS.	NOMEN STELLAE.	A. R.	DECL.	DESCRIPTIO.	NUM. C. P.
2881		22 h. 6,′	+ 28° 41′	I. (9) (9.10). South 807, mihi non inventa.	
2882		— 6,6	+ 36 53	II. (9) (9).	746
2883	Cephei 189 . .	— 6,7	+ 69 16	IV. (6.7) (9) = H. N. 121.	
2884		— 6,7	+ 62 51	I. (8) (9.10).	
2885		— 6,9	— 8 32	IV. (8) (12).	
2886		— 7,8	+ 48 31	IV. (7) (9).	
2887		— 8,1	— 1 34	II. (9) (9).	
2888		— 8,1	+ 12 6	III. (8) (11). Trianguli borealis et minor.	
2889		— 8,2	+ 25 23	I. (8 9) (11), vicinae.	
2890		— 8,5	+ 49 1	III. (8.9) (8.9). In acervo.	
2891		— 9,2	+ 47 7	III. (8) (9).	
2892		— 9,8	— 11 39	II. et IV. (8) (9) (11).	
2893		— 9,8	+ 72 28	IV. (6) (7).	
2894	P. XXII. 65 . .	— 11,3	+ 36 54	III. (6) (8) = H. III. 17.	
2895		— 12,6	+ 24 3	II. (8.9) (10), altera II. (10) (10) in vicinia.	
2896		— 12,8	+ 62 21	IV. (7.8) (8.9).	
2897		— 13,0	+ 14 23	III. (8.9) (9).	
2898		— 13,5	+ 10 13	III. (8) (9.10).	
2899		— 13,7	+ 5 36	III. IV. (8.9) (11).	
2900	33 Pegasi . . .	— 15,3	+ 19 58	I. et V. (5) (9) (7).	
2901		— 15,7	+ 2 56	I. (8) (8.9).	
2902		— 16,0	+ 44 28	II. (7) (8) = H. N. 64.	750
2903		— 16,8	+ 65 49	I. II. (7) (8).	751
2904		— 18,3	— 2 38	II. (9) (9).	
2905		— 18,7	+ 14 16	I. (8.9) Besseli, mihi non inventa.	
2906	Honores Frid. 3 .	— 19,1	+ 36 34	II. (7) (10).	
2907		— 19,6	— 10 49	IV. (8) (9) (10), triangulum.	
2908		— 19,7	+ 16 22	III. (7.8) Besseli, mihi non inventa.	
2909	ζ Aquarii . . .	— 19,8	— 0 55	I. (4) (4) = H. II. 7.	754
2910		— 20,0	+ 22 40	II. III. (8.9) (9).	
2911		— 20,4	+ 10 20	I. aequales vicinae.	
2912	37 Pegasi . . .	— 21,1	+ 3 33	I. (6) (7), pervicinae.	
2913		— 21,3	— 8 59	II. (7) (8) = H. II. 59.	
2914		— 23,2	— 11 49	II. et IV. (12) (12) (8).	
2915		— 23,6	+ 6 28	III. (8.9) (8.9). Etiam Besseli et South 809.	
2916		— 23,6	+ 40 21	I. (8.9) (9). Minor duarum 1′ distantium.	
2917		— 23,8	+ 52 38	II. (8) (8).	
2918		— 24,2	+ 50 0	I. (8) (9), pervicinae.	
2919		— 24,8	+ 20 17	III. (8.9) (9).	
2920		— 25,5	+ 3 19	III. (7) (8).	756

NUMERUS.	NOMEN STELLAE.	A. R.	DECL.	DESCRIPTIO.	NUM. C. P.
		′	° ′		
2921		22 h. 27,3	— 0 46	II. et VI. (9) (10) (10).	
2922	8 Lacertae . . .	— 28,2	+ 38 44	III. (6) (6) = H. IV. 86.	757
2923	Cephei 222 . .	— 28,3	+ 69 28	III. IV. (7) (9).	
2924		— 28,3	+ 69 0	I. (7.8) (7.8), vicinissimae.	
2925		— 29,0	+ 5 0	II. (8) (8.9).	
2926		— 29,6	+ 37 59	IV. (8.9) (9).	758
2927		— 29,8	+ 79 58	III. (8.9) (9.10).	
2928		— 30,3	— 13 31	III. (8) (8.9).	759
2929		— 30,5	+ 9 36	I. (8.9) (9), vicinae.	
2930		— 30,6	+ 6 16	IV. (8) (8.9).	
2931		— 32,6	+ 12 16	I. II. (8) (8.9).	
2932		— 33,	+ 29 7	IV. (10) (10). South 814, mihi non inventa.	
2933		— 33,5	+ 10 6	IV.	
2934		— 33,5	+ 20 33	I. (8) (8.9).	
2935	P. XXII. 200 . .	— 33,9	— 9 13	I. (7) (8), vicinae = H. I. 50.	762
2936	Aquarii 215 . .	— 34,2	+ 0 17	I. II. (7) (11).	
2937		— 36,0	— 4 53	III. (8 9) (9).	
2938		— 36,0	— 3 37	III. (7.8) (7.8).	
2939	P. XXII. 209 . .	— 36,1	— 10 34	III. (8) (11) = H. III. 69.	764
2940		— 36,8	+ 71 50	I. (8.9) (9).	
2941		— 37,5	+ 18 21	III. (7.8) (10). Sequens duarum.	
2942	Honores Frid. 18 .	— 38,2	+ 38 34	I. (8) (9).	
2943		— 38,4	— 15 0	IV. (6) (8).	
2944	P. XXII. 219 . .	— 38,7	— 5 8	I. II. et V. (7.8) (7.8) (9) = H. II. 57.	766
2945		— 41,6	+ 30 24	I. (8.9) (8.9). Etiam South 819.	
2946		— 41,7	+ 39 35	II. (8) (8).	
2947		— 43,3	+ 67 38	I. II. (7) (7).	
2948		— 43,6	+ 65 38	I. (7) (9).	
2949		— 43,6	+ 29 6	III. (9) (10). Major altera in parallelo praec.	
2950	Cephei 241 . .	— 44,2	+ 60 46	I. (6) (7.8).	
2951		— 44,4	+ 52 10	IV. (8.9) (8.9).	
2952	Pegasi 260 . . .	— 45,8	+ 27 6	IV. (7.8) (10).	
2953		— 45,9	+ 60 0	III. (7.8) (9).	
2954		— 45,9	+ 14 17	IV. (8.9) (8.9).	
2955		— 46,0	+ 6 19	IV. (7.8) (10).	
2956		— 46,8	+ 0 23	IV. et VI. (8.9) (9) (9).	
2957		— 47,5	+ 16 33	II. (8) (10.11). Duarum major australis.	
2958	Pegasi 263 . . .	— 48,0	+ 10 55	I. II. (7) (9.10).	
2959		— 48,2	— 4 14	(6) (10) = H. N. 15.	
2960	16 Lacertae . .	— 48,3	+ 40 41	IV. (6) (9) = H. IV. 85.	769

NUMERUS.	NOMEN STELLAE.	A. R.	DECL.	DESCRIPTIO.	NUM. C. P.
		′	° ′		
2961		22 h. 49,7	+ 61 57	I. (8) (8).	
2962		— 49 8	— 9 9	III. (8) (10).	
2963		— 50,2	+ 75 27	I. (8) (8).	
2964		— 50,5	— 5 17	II. (8) (10) = H. N. 90.	
2965		— 50,6	+ 71 55	I. (8) (9).	
2966		— 51,	+ 71 55	IV. (7) (10).	
2967		— 51,1	+ 26 49	II. (8.9) (9.10). Etiam South. 821.	
2968	Pegasi 273 . . .	— 52,4	+ 30 10	I. (7) (9).	
2969		— 52,8	+ 25 52	I. II. (8) (9.10).	
2970		— 53,3	— 12 17	II. Etiam Besseli Altera V. est ad Bor. lucidior.	
2971		— 53,5	+ 77 35	I. II. (7.8) (8.9).	
2972		— 53,9	— 0 43	III. (8) (12).	
2973		— 54,5	+ 43 8	III. (7) (10). Altera IV. (9) (9) praecedit.	
2974		— 56,9	+ 32 26	I. (8) (8). Etiam South. 822.	
2975		— 58,1	+ 32 6	IV. (9.10) (10.11).	
2976		— 59,0	+ 5 39	I. II. et III. (8.9) (8.9) (9).	
2977		— 59,0	+ 60 30	I. (7) (10).	
2978	P. XXII. 306 . .	— 59,1	+ 31 53	III. (7) (9) = H. N. 11.	771
2979		— 59,6	+ 38 51	I. (8.9) (11).	
2980		23 h. 0,3	— 8 14	I. II. (7.8) (9).	
2981		— 0,4	— 9 47	I. (8) (8).	
2982	57 Pegasi . . .	— 0,7	+ 7 44	IV. (6) (10) = H. N. 16.	
2983		— 0,8	+ 14 16	III. IV. (8) (10).	
2984		— 1,2	+ 69 42	II. (7.8) (10).	
2985		— 1,9	+ 47 1	III. IV. (7) (8).	773
2986		— 2,1	+ 13 31	IV. (6) (9).	
2987		— 2,3	+ 48 6	I. (8) (10).	
2988	Aquarii 284 . .	— 2,8	— 12 51	I. (7.8) (8).	774
2989		— 4,6	+ 19 2	I. (8.9) (9).	
2990		— 4,8	+ 21 9	I. (8) (8.9).	
2991		— 4,8	+ 10 6	IV. (7) (10).	
2992	Honores Frid. 79 ·	— 4,8	+ 39 3	III. IV. (8) (9).	
2993		— 4,8	— 9 53	IV. (6.7) (8).	775
2994		— 5,1	+ 38 42	III. IV. (7) (9). Duarum sequens.	
2995		— 7,4	— 2 33	I. (8) (8).	
2996		— 8,0	+ 80 52	I. II. (8) (8).	
2997		— 8,5	+ 20 26	IV. (8.9) (9).	
2998	94 Aquarii . . .	— 9,9	— 14 24	III. (6) (7.8) = H. III. 34.	777
2999		— 10,0	+ 4 14	III. et V. (9) (8) (8).	
3000		— 10,2	+ 24 15	I. II. (8.9) (9).	

NUMERUS.	NOMEN STELLAE.	A. R.	DECL.	DESCRIPTIO.	NUM. C. P.
		′	° ′		
3001	o Cephei . . .	23h. 11,6	+ 67 9	I. (5) (9).	
3002		— 12,0	+ 1 29	II. (8) (11).	
3003		— 12,7	+ 82 29	IV. (8.9) (8.9).	
3004		— 12,8	+ 43 10	IV. (6) (10).	
3005		— 13,0	+ 24 1	IV. (8) (11).	
3006		— 13,	+ 34 29	II. (10) (12). South 828, mihi non inventa.	
3007		— 14,3	+ 19 36	II. (6) (9).	
3008	P. XXIII. 69 . .	— 14,7	— 9 25	II. (7) (8).	778
3009		— 15,5	+ 2 44	II. (7) (9).	
3010		— 15,5	+ 44 51	IV. (8) (8).	
3011		— 18,0	+ 76 8	II. (8.9) (8.9).	
3012		— 18,7	+ 15 42	I. (8) (8) } Cl. VI.	
3013		— 18,7	+ 15 42	I. (7) (9) } Cl. VI.	
3014		— 19,1	+ 10 11	II. (8) (10).	
3015		— 19,6	+ 32 37	I. (8.9) (9).	
3016		— 19,8	— 7 34	III. (8) (8).	
3017	Cephei 287 . .	— 20 9	+ 73 11	I. (7) (8).	
3018		— 21,7	+ 29 53	III. IV. (7) (9).	
3019		— 21,7	+ 4 19	III. (7) (8).	783
3020		— 22,6	+ 17 48	I. (8) (9.10).	
3021		— 22,6	+ 15 16	II. (8) (9). Etiam Besseli.	
3022		— 22,7	+ 57 27	IV. (7.8) (9).	
3023		— 23,6	+ 16 28	(7) (9), vicinae.	
3024		— 23,7	+ 42 52	II. (8) (9) = H. II. 94.	784
3025		— 26,9	+ 2 15	IV. (7.8) (12). Duarum borealis et major.	
3026		— 27,6	+ 27 57	I. (9) (9).	
3027		— 29,5	+ 82 6	IV. (8) (10).	
3028		— 30,0	+ 34 4	IV. (6) (9).	
3029		— 30,0	+ 70 44	I. (8.9) (9).	
3030		— 31,6	— 1 21	I. (8) (8.9).	
3031		— 32,4	+ 5 19	III. (7.8) (8.9).	785
3032		— 32,5	+ 13 49	III. IV. (8) (10).	
3033		— 35,0	+ 6 16	I. (8.9) (8.9). Plurium maxima. Etiam Besseli.	
3034	P. XXIII. 171 . .	— 35,9	+ 45 23	II. (8) (10).	
3035		— 36,3	+ 7 17	IV. (8.9) (10).	
3036	P. XXIII. 179 . .	— 37,1	— 0 42	I. (8) (11).	
3037		— 37,5	+ 59 30	I. (8) (9.10).	
3038		— 37,8	+ 61 41	II. (8.9) (9). Altera major praecedit.	
3039		— 38,0	+ 27 28	IV. (8) (9) = H. IV. 107.	787
3040		— 38,2	+ 9 11	II. (9). Besseli, mihi non inventa.	

NUMERUS.	NOMEN STELLAE.	A. R.	DECL.	DESCRIPTIO.	NUM. C. P.
3041		23 h. 38,9	+ 16° 6′	I. et VI. (8) (8.9) (7). Austr. est I. Etiam Besseli.	
3042	Andromedae 28 .	— 43,4	+ 36 56	I. (7) (8).	789
3043		— 44,1	+ 37 44	III. (8.9) (9).	
3044	P. XXIII. 216. 217	— 44,1	+ 10 58	IV. (7) (7).	
3045		— 45,6	+ 1 30	I. (8) (10). Minor altera praecedit.	
3046		— 47,5	— 10 28	I. (7.8) (8.9), vicinae.	
3047		— 49,0	+ 56 25	I. (8.9) (8.9), pervicinae. Sequens maj. duar.	
3048	P. XXIII. 240 . .	— 49,1	+ 23 22	III. (8) (9). Etiam South 836.	
3049	σ Cassiopeiae . .	— 50,1	+ 54 48	I. (6) (8) = H. I. 5.	791
3050	Andromedae 37 .	— 50,7	+ 32 47	II. (6) (6) = H. N. 58.	793
3051		— 53,3	+ 79 20	III. (7.8) (9.10). Maxima plurium.	
3052		— 53,7	+ 70 24	IV. (7) (8).	
3053		— 53,8	+ 65 7	III. IV. (6) (7).	794
3054		— 54,1	+ 7 18	III. (8) (8).	
3055		— 55,1	+ 11 12	II. (7) (12).	
3056		— 55,9	+ 33 18	IV. (7) (9).	
3057		— 55,9	+ 57 34	I. (7.8) (9).	
3058		— 56,2	+ 29 24	III. (8.9) (8.9).	
3059		— 56,3	+ 81 44	I. (8.9) (9). Media trium, praecedens est maj.	
3060		— 56,8	+ 17 7	I. (8.9) (8.9).	
3061		— 56,9	+ 16 54	II. (7.8) (7.8).	
3062		— 57,1	+ 57 28	I. (7.8) (8), vicinae = H. I. 39.	795
3063		— 58,8	— 5 31	I. (8) (9).	
3064		— 58,9	+ 39 11	IV. (7.8) (9.10).	
3065		— 59,0	— 15 10	II. III. (9) (9).	

Supplementum.

3066		8 h. 23,2	+ 9° 5′	IV. (8) (11).	
3067		11 2,2	— 5 24	III. (8.9) (9).	
3068		— 2,5	— 8 26	IV. (9) (9).	
3069		— 13,1	— 0 46	IV. (8.9) (10).	
3070		— 16,0	— 3 26	II. (8.9) (10). Borealis duarum.	
3071		— 19,4	— 0 59	IV. (8.9) (11).	
3072	P. XI. 91 . . .	— 21,8	— 5 46	II. (7.8) (10).	
3073		— 32,0	— 7 54	II. (8.9) (12).	
3074		— 39,1	— 7 40	II. (9) (9).	
3075		— 43,3	+ 8 33	III. (8.9) (8.9).	

NUMERUS.	NOMEN STELLAE.	A. R.	DECL.	DESCRIPTIO.	NUM. C. P.
			° ′		
3076		11 h. 48′,0	— 4 14	I. II. (9) (9).	
3077		— 50,2	+ 10 7	II. (9) (11).	
3078		12 0,2	+ 12 15	II. III. (8.9) (11).	
3079		— 2,0	— 3 45	III. (8.9) (10.11).	
3080		— 2,7	— 12 44	I. (8.9) (10).	
3081		13 35,9	— 10 56	I. (9) (9), vicinae.	
3082	P. XIII. 245 . .	— 47,5	— 9 11	I. (8.9) (8.9), oblonga.	
3083		14 11,8	+ 24 18	I. II. (8.9) (11).	
3084		— 17,3	+ 63 3	IV. (9) (11).	
3085		— 19,9	+ 23 9	I. (8.9) (9).	
3086		— 24,3	+ 18 5	II. (9) (9.10). Sequens australis duarum.	
3087		— 28,4	+ 20 10	I. (9) (9).	
3088		— 35,4	+ 20 59	IV. (9) (10.11).	
3089		— 50,5	+ 0 13	I. (9) (10). In angulo recto trianguli. Maj. seq.	
3090		— 59,8	— 0 20	I. (8) (8). Plurium maxima.	
3091		15 6,9	— 4 14	I. (7.8), oblonga, sed dubium est.	
3092		— 12,6	— 1 22	III. (8.9) (10.11).	
3093		— 13,6	— 0 54	IV. (8) (9).	
3094		— 29,6	— 8 1	I. (8.9) (8.9).	
3095		— 35,2	— 14 37	I. (8) (9).	
3096		— 38,6	— 4 46	I. (9) (9).	
3097		— 41,4	— 8 30	I. (8.9) (8.9).	
3098		— 42,2	— 10 38	III. (8.9) (10).	
3099		— 44,7	— 13 11	I. (8.9) (9).	
3100		— 45,9	— 8 22	I. (8.9) (10).	
3101		— 49,8	— 2 33	I. (8) (8). Major australis duarum.	
3102		16 8,7	— 6 56	I. (9) (9). Major borealis duarum.	
3103		— 11,6	— 3 32	IV. (8.9) (10).	
3104		— 20,6	— 14 9	II. (9) (10). Prior major duarum.	
3105		— 22,5	— 6 39	I. (8) (8), oblonga, sed nullum dubium.	
3106		— 46,5	— 4 53	I. (8) (8).	
3107		— 50,1	+ 4 12	I. (8.9) (8.9). Major duarum Cl. VI	
3108		— 52,4	— 11 35	IV. (8.9) (10).	
3109		— 56,0	— 6 49	I. II. (9) (10.11).	
3110		— 57,5	— 2 21	II. (8.9) (9).	
3111		19 19 5	+ 21 20	II. (9) (9.10). Nisi decl. = 21° 10′.	
3112		21 25,9	+ 8 42	II. (7) (9).	

Adnotationes in catalogum stellarum duplicium.

Nr. 13. Cephei 318.

In tribus lustrationibus in hanc incidi stellam et semper oblongam notavi, unde nullum dubium est, quin duplex sit.

Nr. 54 et 56.

Suspicor eandem esse duplicem, ex errore bis in catalogum illatam.

Nr. 93. α Ursae minoris.

Memorabile videtur me die 9 Febr. 1826 comitem stellae polaris ante Solis occasum vidisse, cujus rei testis erat amicissimus mihi liber Baro de Wrangell, socius laboris in mensura arcus meridiani nostri, qui etiam stellam conspexit.

Nr. 99. φ Piscium.

Piazzius hanc stellam jam duplicem nominavit. Sed quo jure nescio, nam nostram comitem vidisse nequit, quae nos hucusque fugerat, quamvis stellam pluries per octipedem Dollondinum et tubum circuli meridiani inspeximus.

Nr. 117. ψ Cassiopeiae.

Vide p. XIII. Introductionis

Nr. 150. 1 h. 34′,5. — 7° 59′.

Adde: esse 44 catalogi prioris.

Nr. 215. 1 h. 58′,5. + 39° 57′.

Fortasse AR = 2 h. 4′,5.

Nr. 218 et 220.

Eadem stella bis in catalogum illata.

Nr. 223. 2 h. 0′,6. + 79° 55′.

Duplex natura confirmata in mensuris micrometricis 7 Aprilis 1827. Distantia reperta = 0″,66; angulus 40°,8 B. Sq. inter stellas (8) et (10.11).

Nr. 239. P. II. 38 et 39.

Certum est hanc stellam esse H. IV. 40, quamvis dubitatur in opere H. et S. p. 55 et 56. Observatio in Vol. II. obs. Dorp. p. 167. Nr. 144 obvia, quae stellae 10 Trianguli angulum 24°,2 A. Pr. tribuit, ad aliam stellam pertinere debet, nescio quam, cum 10 Trianguli sit simplex.

Nr. 246. 2 h. 8′,0. + 33° 38′.

Fortasse haec = H. III. 42.

Nr. 278. 2 h. 24′,0. + 68° 33′.

Stella jam ex mensura confirmata 7 Aprilis 1827. Distantia = 0″,52; angulus = 4°,9 A. Pr. Stellae (8.9) et (8.9).

Nr. 333. ε Arietis.

Est stella duplex inter omnes nostras fortasse vicinissima. Mensuram institui die 28 Februarii 1827, quae interdiu, adhibita amplificatione = 600, distantiam dedit = 0″,51 et angulum 83°,1 A. Pr. Singulas tum stellas magnitudinis (6.7) posui, subflavas, alteram paululo majorem. In lustratione scripsi magnitudines (7) et (7), proxime easdem. Mirum est in catalogo Siculo esse stellam (5), in Uranographia (5), in chartis Hardingianis (4). Gravis est suspicio splendorem esse mutabilem.

Nr. 381. P. III. 46.

Suspicio est confirmata observatione die 28 Febr. 1827 instituta, quae interdiu per oculare = 600 stellarum distincte sejunctarum (7.8) et (9) distantiam = 0″,75 et angulum 3°,7 A. Sq. dedit.

Nr. 412. 7 Tauri.

Vide p. XIV. Introductionis

Nr. 453. Atlas Pleiadum.

Mensuram hujus duplicis vide p. XI. Introductionis.

Nr. 464. ζ Persei.

Vide p. XIV. Introductionis.

Nr. 647. β Eridani.

Per nubes repente coelum obtegentes stellam hanc duplicem animadverti, quam, nubium etiam ignarus, ex vicinis (7) et (7) compositam cognovi. Locus prorsus cum β Eridani congruit, ita ut certum sit, me hanc stellam observasse. Serius quidem pluries β Eridani inspexi, nec amplius successit duplicem cognoscere. At raro in altitudine 26° est talis aeris conditio, per quam stellam tam lucidam ex vicinis compositam possis videre. Stella erit denuo examinanda.

Nr. 721. 5 h. 20′,2. + 3° 1′. = H. IV. 45.

Est eadem stella stella ac H. et S. 57, quae ideo non nova, cujus vero declinatio est 10′ erronea.

Nr. 748. θ Orionis.

Notissimum trapezium. De stella quinta vide p. XIV Introductionis et diagramma in tabula I.

Nr. 774. ζ Orionis.

Est H. IV. 21. Praeterea duplex classis I, primum nobis observata, vide catalogum anni 1820, deinde etiam Herschelio II. et Southio, in quorum opere p. 89 est probatum, stellam hanc Herschelio ante hos 40 annos certe non fuisse duplicem classis I. Stella minor apparet, tum temporis occulta, postea e majoris splendore emersisse. Quare maximopere attentione dignam esse hanc stellam recte est monitum. Appono ideo mensuras has opera nostri instrumenti jam institutas. A = (2) B = (6.7) C = (10.11).

A et B.

		Δ Decl. =	Angulus =
1825.	26 Febr.	2″,14	64,6 A. Sq.
	15 Mart.	2″,25	64,4 —
	18 —	1″,94	64,0 —
	19 —	2″,08	61,0 —
	20 —	2″,03	62,7 —
	Medium	2″,09	63,3 A. Sq.

Unde distantia = 2″,34.

A et C.

1827.	28 Febr.	Distantia = 57″,51;	angulus 81° 6′ B. Sq.
—	11 Mart.		80° 49′ —
			Medium 80° 57′ B. Sq.

Priores sunt observationes hae pro A et B:

1822,1. Distantia = 2″,86; angulus = 62°,0 A. Sq. Struve per tubum 5 pedum;
1822,6. — 2″,62; — 60°,0 — H. et S.;

et pro A et C:

1822,1. Angulus = 80° 36′ B. Sq. Struve per tubum 5 pedum;
1822,6. — 80° 50′ — H. et S.

Mirum est anno 1779 Herschelium stellam hanc ad quartam classem numerasse, et distantiam 25″ taxasse, quae jam est 57″, cum eundem fere habeat angulum 83° 25′ B. Sq. Sed distantiarum taxationes interdum sunt erroribus obnoxiae, vide quae in Introductione p. XIII. sunt allata pro ω Cygni.

Nr. 799. 5 h. 40′,2. + 38° 30′.

Duplex confirmata in mensuris pluries jam repetitis.

Nr. 813. 5 h. 43′,9. + 18° 53′.

Fortasse est classis I, nam non distincte est scriptum in diario archetypo.

Nr. 855 et 858.

Eadem stella bis ex errore in catalogo posita.

Nr. 894. 5 Lyncis.

Vide p. XIV. Introductionis.

Nr. 900. 8 Monocerotis.

Altera duplex longius in parallelo praecedit.

Nr. 915. H. II. 89.

Vide p. XIV. Introductionis.

Nr. 950. 15 Monocerotis.

Piazzio jam haec stella est duplex vocata, et eo auctore in catalogum anni 1820 illata, at asterisco notata, quippe cujus nullam vidissem comitem per instrumenta meridiana. Nostra comes (9), a stella majori (6) 2″,4 sub angulo 64° A. Pr. distans, est certe alia, quam Piazzio visa, nisi stella situm egregie mutavit. Sed dudum constat complures stellas simplices praecipue lucidas cel. Piazzium ex tubi imperfectione duplices judicasse. At cur hanc comitem in instrumentis meridianis antea non viderim, nescio. Fortasse est comes variabilis, nam in lustratione diei 4 Martii 1826, qua in duas duplices vicinas 951 et 952 incidi, stella 15 Monocerotis est visa quidem, non vero duplex cognita.

Nr. 1110. Castor.

Egregiae hujus stellae duplicis hic subjungo mensuras hucusque institutas:

1826.	8 Mart.	Distantia =	4″,60	Angulus =	7°,2 A. Pr.
	15 —	—	4″,25	—	8,0 —
	20 —	—	4″,38	—	8,2 —
	21 —	—	4‴36	—	8,0 —
	22 Apr.	—	4″,39	—	5,8 —
		Medium	4″,42.		7°,37 A. Pr.

Qui angulus cum prioribus collatus continuum motum stellae minoris in Austrum confirmat.

Nr. 1177. Cancri 17 et Nr. 1186. 11 Cancri.

Probabile videtur stellam Cancri 17, non 11 Cancri, esse H. I. 11. Cum esset Cancri 17 lucidior quam 11 Cancri, facile erat stellas confundere. Eadem est etiam stella, quam H. et S. observaverunt in opere mensurarum. Priores mensurae ita cum nostris conveniunt:

	Distantia:	Angulus:	
1781,3		85° 10′	B. Pr. Herschel.
1822,2	4″,50	84 30′	— H et S.
1824,2	4″,68	83 15′	— South.
1827,2	3″,48	87 30′	— Struve.

Magna vero est discrepantia in magnitudinibus, quas Herschelius eximie inaequales vocat, H. et S. (8) et (9. 10), nos in lustro (6) et (7), in mensura (6.7) et (7.8), et in observationibus meridianis inde ab anno 1821 modo valde inconstanti notavimus, ita ut major mox (6) mox (8), minor mox (8) mox (9. 10) esset dicta. Gravis est ideo variationis in splendore suspicio. Hanc stellam vero esse a 11 Cancri diversam per instrumenta meridiana certo cognovi, saepe post Cancri 17 etiam 11 Cancri simplice conspecta. Eo vero insignius est nos per magnum telescopium in 11 Cancri duplicem difficilem classis primae detexisse, hucusque, ut videtur, non cognitam. Cujus mensura exstitit talis inter stellas (7) et (10) seu (11):

1826. 21 Mart. Distantia = 3″,33; angulus 45°,8 A. Pr.

Si haec stella est H. I. 11, cum qua pro magnitudinum differentia (excessively unequal) melius quam Cancri 17 convenit, foret in angulo mutatio in 45 annis non minor 131°, qui motus brevi tempore confirmari seu repudiari debet. Recentiores duae observationes cum motu conveniunt, ex quibus:

1827, 27. Distantia = 3″,26; angulus = 52°,3 A. Pr.

Nr. 1196. ζ Cancri.

Gravissimae de hac stella triplici sunt observationes cl. Southii, quae in utraque minore situm ad maximam mutatum edocuerunt. Gratas itaque spero fore astronomis has nostras mensuras, quae mirum in modum cum Southii conveniunt, factas per oculare = 600. A = (5) flava; B = (6) flavior; C = (5.6) flava.

A et B.

1826.	20 Mart.	Distantia =	1″,26	Angulus =	32°,85 B. Sq.
	21 —		1″,07	—	32,9 —
	22 —		1″,00	—	31,3 —
		Medium	1″,11.		32,35 B. Sq.

A et C.

1826.	20 Mart.	A Decl. = 4″,83	Angulus = 65°,65	A. Sq.
	21 —	4″,79	64,65	—
	22 —		63,75	—
		Medium 4″,81.	64,68	A. Sq.

Unde distantia 5″,32.

B et C.

1826.	20 Mart.	Angulus = 73°,25	A. Sq.	
	21 —	73,4	—	
	22 —	73,15	—	
		Medium 73,27	A. Sq.	

Southio erat pro 1825,27 inter A et B distantia 1″,09 et angulus 32° 10′ B. Sq.; inter (A + B) et C distantia 5″,44 et angulus 67° 55′, qui ex nostris observationibus sunt 5″,42 et 68° 59′.

Nr. 1514. 11 h. 0′,7. + 67° 3.

Vide p. XIV. Introductionis.

Nr. 1523. ξ Ursae majoris.

Hujus stellae ob magnum motum tam proprium quam in gyro insignis has affero observationes:

1826.	7 Martii.	Distantia = 1″,71	Angulus =	
	15 —	1″,71	32°,0	A. Pr.
	20 —	1″,78	30,6	—
	Pro 1826,20.	Medium 1″,733.	31,3	A. Pr.
1827.	7 April.	Distantia = 1″,82	Angulus = 40°,5	A. Pr.
	9 —	1″,67	41,9	—
	12 —	1″,84	43,5	—
	18 —	1″,83	41,0	—
	Pro 1827,27.	Medium 1″,790.	41,72	A. Pr.

Anguli hi cum postremo angulo Southii pro 1825,22 invento = 25° 28′ et inter se comparati continuam mutationem intra anni spatium comprobant.

Nr. 1532. σ Leonis. Nr. 1538. 80 Leonis. Nr. 1557. υ Leonis.

Inter stellas dubias, has tres maxime suspectas judico, nec vere duplices credo. Interim examine repetito est res dijudicanda.

Nr. 1544. 11 h. 21′,0. + 60° 38′.

Haec est H. N. 70. Mirum est, in H. et S. p. 153 stellae H. N. 70 esse positionem 11 h. 21′. + 42° 21′; quae declinatio est erronea, dum in Southii observationibus eadem stella sit p. 172 cum justa declinatione, ubi vero non dictum invenies esse H. N. 70. Eandem stellam utroque loco esse observatam ex distantiarum et angulorum summa congruentia indubium est.

Nr. 1670. γ Virginis.

Ex 6 dierum observationibus pro 1825,4 deduximus nostro instrumento distantiam 2″,38 et angulum 7° 58′ B. Pr. Angulus ad singulum gradum cum cl. Southii determinatione convenit, at distantia nobis ut plerumque est minor. Minoribus hoc videtur proprium esse tubis ut in stellis vicinis veris majores exhibeant distantias per micrometra. Cujus rei etiam non longe quaerenda videtur explicatio.

Nr. 1752. P. XIII. 113.

Vide p. XIV. Introductionis.

Nr. 1865. ζ Bootis.

Stellam hanc duplicem classis I. jam anno 1796 magno Herschelio visam esse, probatur a Herschelio II. in cel. Schumacheri Astr. Nachr. Nr. 85.

Nr. 1877. ε Bootis.

In hac stella jam anno 1820 ex nostris observationibus motum circularem a Herschelio indicatum confirmari credidimus. In eandem sententiam accesserunt Herschelius II. et Southius. Sed fateor novas

nostras observationes per telescopium Fraunhoferianum institutas dubium excitasse. Ex tribus observationibus per micrometrum Fraunhoferianum tubo Troughtoniano adaptatum, prius jam haec acceperamus:

1821.	23 Octob.	Distanta = 3″,11	Angulus = 49°,2	B. Pr.
1822.	24 Aug.		47,9	—
	20 Sept.	3″,34	47,6	—
	Pro 1822,4.	Medium 3″,23.	48,23	B. Pr.

Qui angulus est 4°,8 minor quam qualem H. et S. pro eadem fere epocha invenere.

Jam per novum instrumentum duobus diebus ex observationibus diurnis, maxima adhibita amplificatione = 600, haec accepimus:

1826.	16 Octob.	Distantia = 2″,73	Angulus = 47°,8	B. Pr.
	17 —	2″,65	48,35	—
	Unde pro 1826,8.	Medium 2″,69.	48,07	B. Pr.

Jam si omnes angulorum observationes componimus; adhibito H. et S. p. 207, sunt hae:

anno	1781,7	angulus	35°	7′	B. Pr.	secundum Herschel.
—	1796,6	—	45	32	—	—
—	1803,0	—	44	39	—	—
—	1822,4	—	48	14	—	Struve.
—	1822,5	—	52	59	—	H. et S.
—	1825,3	—	54	26	—	South.
—	1826,8	—	48	4	—	Struve.

Contra angulos maximos mensurae nostrae recentiores disputare videntur. De minimo angulo anni 1781 dubium excitatur ex ipsius magni Herscheli mensuris annorum 1796 et 1803. Motus itaque angularis, si quis est, exiguus debet esse. At fortasse in discriminibus inter observationes recentiores singulare aliquod latet phaenomenon.

Nr. 1878. Draconis 59.

Vide p. XV. Introductionis.

Nr. 1938. P. XV. 74. = H. I. 17.

Ut quidem in ε Bootis noster tubus motum angularem dubium reddidit, ita in hac stella, ut alias plerumque, ipsum egregie confirmat. Observationes nobis exstiterunt duae, utraque interdiu maximo augmento facta.

1826.	4 Octob.	Distantia = 1″,36	Angulus = 57°,0	B. Pr.
	16 —	1″,37	57,0	—
	Pro 1826,8.	Medium 1″,365.	57,0	B. Pr.

Qui angulus sensu praedicto distat a postrema Southii determinatione pro 1824,6 = 63° 36′ B. Pr.

Nr. 1964. 15 h. 31′,6. + 36° 48′.

Vide p. XV. Introductionis.

Nr. 1967. γ Coronae.

Est stella duplex ex difficillimis, stellis (4) et (7) vicinioribus quam in ζ Herculis composita. Mensurae sunt hae:

1826.	3 Octob.	Distantia = 0″,83	Angulus = 19°,6	A. Sq.
	4 —	0″,64	22,4	—
		Medium 0″,735.	21,0	A. Sq.

Nr. 2032. σ Coronae.

De veloci motu angulari in his stellis omnes observationes consentiunt, nam nobis jam per minus instrumentum pro 1819,60 erat angulus = 39°,7 B. Sq.; idem 1822,67 = 29°,0 B. Sq. Jam haec accepi ex duabus observationibus diurnis per oculare = 600:

1826.	3 Octob.	Distantia = 1″,29	Angulus = 1°,05	B. Sq.
	16 —	1″,32	0,95	—
	Pro 1826,77.	Medium 1″,305.	1,00	B. Sq.

Omnes angulos hucusque emensos hic componere juvat secundum opus Herscheli II. et Southii nostrosque labores:

1781,79.	77°	32′	B. Pr. =	77°	32′	sec.	Herschel.
1804,74.	78	36	B. Sq. =	101	24	—	—
1819,60.	39	42	—	140	18	—	Struve.
1821,30.	24	45	—	155	15	—	H. et S.
1822,67.	29	0	—	151	0	—	Struve.
1822,83.	18	27	—	161	33	—	H. et S.
1823,74.	17	4	—	162	56	—	—
1825,44.	12	29	—	167	31	—	South.
1826,77.	1	0	—	179	0	—	Struve.

Nr. 2055. λ Ophiuchi.

Est H. I. 83, sed post Herschelium nemini amplius duplex visa. Tubus noster denuo duas monstravit stellas, quarum has accepi mensuras:

1825. 25 Jun.	Distantia = 0″,61	Angulus	65°,8 B. Pr.
7 Jul.	0″,84		61,0 —
14 —	0″,75		61,1 —
Pro 1825,52.	Medium 0″,733.		62,6 B. Pr.

Stella major est (4) flava, minor (6) caerulea. Sed quantus est motus comitis in hoc systemate! Fuit enim:

anno 1783,2.	Distantia	Angulus =	14° 30′ B. Sq. =	165° 30′
— 1802,4.	—		20 41 —	159 19
— 1825,52.	— = 0″,733.		62 36 B. Pr.	62 36

Distantiam anno 1802 multo minorem fuisse quam 1783 Herschelius affirmat. Anguli mutatio est 102°,5 in 42,32 annorum spatio, sed multo celerior in parte posteriori quam in priori, unde orbita apparens valde elliptica sequitur.

Nr. 2074. 36 Herculis.

Vide p. XV. Introductionis.

Nr. 2084. ζ Herculis.

Stella haec memorabilis primum duplex Herschelii I. 36, tum simplex ipsi et omnibus deinde astronomis visa, nobis denuo duplex est cognita. Mensuras accepimus has per amplificationes = 480 et 600.

1826. 7 Mart.	Distantia = 0″,81	Angulus =	62°,5 B. Sq.
28 Sept.	0″,96		68,0 —
29 —	0″,92		67,2 —
2 Octob.	0″,95		63,8 —
3 —	0″,90		71,4 —
Pro 1827,64.	Medium 0″,91.		66,6 B. Sq.

Motus angularis est indubius, cum angulus, quem Herschelius anno 1782,5 observavit = 20° 42′, a nostro 45°,9 distet. Cum anno 1782 comes a majore una distaret diametro, anno 1795 difficulter tantum videretur, et 1803 ex difformitate stellae tantum cognosceretur, orbitam concludimus apparentem esse valde ellipticam, et suspicio est comitem jamjam perihelium trangressam esse. In tabula I expressimus adspectum ζ Herculis, qualem vidimus die 30 Octobris 1827, adhibita amplificatione = 600, ante Solis occasum. Si R et r sunt radii utriusque stellae apparentes, taxaximus $r = \frac{1}{3} R$ et distantiam discorum = R. Unde, pro distantia centrorum = 0″,91, sequitur R = 0″,39; r = 0″,13. Magnitudines constanter notavi (3) et (7), colorem majoris album subflavum, minoris subrubrum. Difficultas in stella hac duplici videnda ex splendore oritur majoris.

Nr. 2093. η Herculis.

Stella haec est similis ζ Herculis et γ Coronae, sed ob comitem exiguam (8) etiam difficilius duplex noscitur. Mensuras nondum fecimus.

Nr. 2128 et Nr. 2129.

Fortasse est una eademque stella, et in altera declinationum error 10° inest.

Nr. 2173. 17 h. 21′,6. — 0° 52′.

Stellam hanc, quam duplicem classis I ex (5) et (6) inveni, in nullo detexi catalogo. In Hardingii chartis est in hoc loco stella (6).

Nr. 2262. τ Ophiuchi.

Est H. I. 88, cui Herschelius ipse epitheton dat: The closest of all my double stars. Saepius stellam examinavi noctu aere optimo; numquam comitem conspexi. Postea interdiu in stellam inquisivi pluribus diebus sine successu. Die 17 Septembris 1825 hoc in diario scriptum invenio:

„τ Ophiuchi cuneata ad Boream versus, pars australis subflava, borealis vero caerulea. Angulus observatus 86° B. Pr., per amplificationem maximam aere egregie favente. Forma haec absque dubio per refractionem efficitur, cum stella sit tantum 23° ab horizonte, quod et angulus et color caeruleus versus Boream indicant. Certum itaque est τ Ophiuchi, quam saepe noctu frustra examinavi, etiam interdiu duplicem mihi non videri.“

Angulum tamen ab Herschelio observatum = 61°,6 B. Pr. satis proxime cum directione formae nostrae cuneatae convenire attentione est dignum. Nuper die 13 Apr. 1827 stellam denuo per oculare = 600 examinavimus noctu. Forma cuneata statim est cognita, at directio erat 56°,6 B. Pr., proxime eadem ac Herscheli, quae, cum stella nondum esset in meridiano, circiter 20° a directione verticali abesset. In altera stella paululo majori et horizonti viciniori forma cuneata minus insignis erat. Probabile videtur difformitatem partim ex refractione partim ex comite oriundam esse.

Nr. 2272. 70 p Ophiuchi.

Duas mensurarum series per utrumque micrometrum filare tubi nostri institutas in libro descriptionis instrumenti exposuimus. Tertia mensura denuo est facta singula. Positiones sunt inde:

Pro	1825,45.	Distantia = 4″,00.	Angulus =	58°	40′	A. Sq.	ex 6	dierum observationibus.
—	1825,65.	4″,00		58	1	—	8	—
—	1826,75.	4″,22		56	24	—	1	—

Nr. 2280. 100 Herculis.

Stellam hanc = H. III. 41 posui ex auctoritate H. et S. p. 269 et 296.

Nr. 2309. 18 h. 13′,2. + 25° 27′.

Hanc stellam jam in catalogo priori = H. I. 86 posui, cum ex ipsa descriptione loci apud Herschelium adhibitis mappis Hardingianis in stellam hanc incidissem. Sed cum per instrumenta minora comitem nullam viderem, asterisco notavi stellam. In lustrationibus vero denuo in hanc incidi stellam et duplicem vidi classis primae. Nullum igitur dubium superest, quin nostra stella sit H. I. 86. Sed recte dubitaverunt H. et S. p. 298 stellam a Herschelio anno 1802 pro I. 86 observatam esse eandem, si quidem ipsorum observatio ad hanc nostram pertinet stellam. Nobis nullae hucusque sunt mensurae.

Nr. 2354. 18 h. 31′,1. + 38° 34′.

Est stella 4′ ad Austrum ab α Lyrae, quae ipsa est classis V primo intuitu cognita.

Nr. 2361. 18 h. 31′,9. + 2° 58′.

Besselius nullam distantiam dedit, unde incertum est, cujusnam sit classis duplex haec.

Nr. 2382 et Nr. 2383. ε et 5 Lyrae.

Sunt H. II. 5 et 6. Sed utraque pro distantia ad primam classem est censenda. Inter has stellas in media via duplicem classis V detexit debilissimam Herschelius II. opera telescopii reflectorii 20 pedum; vide H. et S. p. 313. In nostro telescopio facili negotio has stellas reperi, et ex mensura inveni distantiam 45″,2, angulum 51°,7 B. Sq. die 19 Octobris 1826. Magnitudines (12) et (13) scripsi.

Nr. 2434. P. XVIII. 274.

Vide p. XV. Introductionis.

Nr. 2452. Draconis 233.

Herschelio est 56 Draconis duplex II. 31 ex fere aequalibus. Sed 56 Draconis est simplex. At haec nostra cum descriptione Herscheli in exigua magnitudinum diversitate, distantia et colore convenit. Draconis 233 a 56 Draconis 1°,5 fere in coelo abest.

Nr. 2464. 19 h. 1′,0. + 11° 38′.

Tribus diebus in hanc incidi duplicem; bis forma tantum cuneata est visa, tertio die singulas stellas conspexi.

Nr. 2487. η Lyrae.

In H. et S. p. 326 dubitatur, quin η Lyrae sit = H. IV. 2. Cum vero distantia a Herschelio data cum η Lyrae satis conveniat, suspicor in angulo latere errorem aliquem, quale exemplum jam obtulit α Cassiopeiae. Conf. H. et S. p. 28.

Nr. 2492. 23 Aquilae.

Herschelio est 24 Aquilae = I. 14. Sed 24 Aquilae est simplex etiam in nostro tubo; at 23 Aquilae, quae ejusdem magnitudinis et 42′ australior, est duplex classis I, quam itaque a Herschelio observatam esse suspicor. Quod si res ita se habet, magna manifestatur anguli mutatio. Duae enim nostrae sunt mensurae hae:

1825. 11 Jul.	Distantia = 3″,21.	Angulus = 82°,3 B. Sq.
6 Aug.	3″,39	81,1 —
Pro 1825,53.	Medium 3″,30.	81,7 B. Sq.

At Herschelio erat pro 1781,6 angulus 72°,0 A. Sq., qui angulus a nostro 153°,7 differt.

Nr. 2541. P. XIX. 185.

Hanc stellam H. I. 13 posui. Est quidem egregia altera duplex classis I in vicino Nr. 2545. Sed haec est stella magnitudinis 6tae, qualem Herschelius non videtur observasse. Neutram tamen triplicem vidi, qualis H. I. 13 esse debet.

Nr. 2544. 19 h. 28′,7. + 7° 56′.

Vide p. XV. Introductionis.

Nr. 2579. δ Cygni.

Duplex Herscheli I. 94 anno 1783, postea simplex etiam Herschelio, quamvis adhibito telescopio 20 pedum; ita etiam simplex posterioribus astronomis; nobis vero per Fraunhoferi tubum denuo duplex est cognita. Duas mensuras stellae hujus fecimus maximis adhibitis augmentis, sed primo die jam per ocular 140 tantum vices amplificans comitem distincte a majori sejunctam circa Solis occasum vidimus; qui dies erat egregiae aeris tranquillitatis et pelluciditatis:

1826. 9 Febr.	Distantia = 1″,86.	Angulus = 49°,9 B. Sq.
29 Dec.	1″,97	48,8 —
Pro 1826,56.	Medium 1″,915.	49,35 B. Sq.

Major stella est (3) albasubflava, minor (8.9). Tabula I exhibet adspectum stellae nostrae die 29 Dec. 1826 per tubum nostrum oblatum, adhibita vi = 600, illuminato campo. Si D et d sunt diametri apparentes utriusque stellae, erat d = $\frac{1}{5}$ D, et discorum distantia = 1,5 D, unde D = 0″,90; d = 0″,18. Radius hic apparens nocturnus = 0″,45 pro stella majore est proxime idem, quam pro stella ζ Herculis interdiu acceptus = 0″,39. Quae stellae sunt ordinis magnitudinum ejusdem, tertii; δ Cygni paulo majorem credi-derim. Ex collato angulo anni 1783 = 18° 21′ B. Sq. motus angularis indubius sequitur, cum discrimen 31° inveniatur.

Nr. 2690. P. XX. 177 et 178.

Herschelius stellam 1 Delphini duplicem ait, III. 16. Sed stella illa est simplex; at nostra est duplex, quam plures dudum astronomi noverunt, Ch. Mayerus, Piazzius, Lalandius, et cum descriptione Herscheli congruit.

Nr. 2716. 49 Cygni.

Est stella duplex Herschelio detecta classis secundae, II. 98, neque tum ullam obtulit difficultatem. Nihilominus neque mihi in anterioribus instrumentis successit duplicem videre, nec in Herscheli II. et Southii opere stellam hanc invenies observatam. Jam per magnum tubum duplicem denuo cognovi classis primae ex stellis magnitudinis (6) et (8). Mensura die 24 Dec. 1826 instituta dedit nobis distantiam = 2″,99 et angulum 38°,8 B. Sq. Angulus anno 1783 erat 31°,8 B. Sq., non plus 7° diversus. Distantiam vero diminutam esse persuasum habeo, cum stella sit a Herschelio in classem II posita. Sed miror me antehac per telescopia meridiana comitem non vidisse, cum stella nullo modo ad difficiliores pertineat, nisi forte comes est variabilis.

Nr. 2729. 4 Aquarii.

Est H. I. 44. Duplex difficillima, prioribus instrumentis non duplex conspecta, nec in Herscheli II. et Southii observationibus obvia. Jam nobis denuo duplex visa et mensurata. Major (6) subflava, minor (8) rubra:

1825. 6 Aug.	Distantia = 0″,79.	Angulus = 64,0 B. Sq.
11 —	0″,78	60,0 —
Pro 1825,6.	Medium 0″,785.	62,0 B. Sq.

Anno 1782,7 erat angulus 81°,5 B. Pr. Differentia angulorum est 36°,5. Nullum igitur esset de motu angulari minoris dubium, nisi foret altera mensura Herscheli, quae pro 1802,6 dederit angulum 61°,1 B.Sq. ex duorum dierum observatione, cum nostro eundem.

Nr. 2743. 59 f¹ Cygni.

Suspicor hanc esse H. IV. 22, quam Herschelius f² Cygni dixit. Nam f² Cygni est simplex.

Nr. 2753. 20 h. 57′,7. + 34° 45′.

Vide p. XV. Introductionis. Alia duplex classis IV sequitur 4′ distans.

Nr. 2806. β Cephei.

Alia duplex III. (10) (10) praecedit.

Nr. 2811. 21 h. 29′,6. — 1° 1′.

Herschelio est 24 Aquarii = IV. 38. At ea est simplex. Nostra vero, quae 1′ temporis praeit et 12′ est australior, quam 24 Aquarii, et ejusdem fere magnitudinis, absque dubio pro 24 Aquarii est Herschelio habita.

Nr. 2840. Cephei 147.

μ Cephei, quam Herschelius duplicem IV. 79 ponit ex stellis fere aequalibus, est classis quintae ex magna (6) et debilissima. μ Cephei itaque non est H. IV. 79. Sed haec nostra, quae est etiam H. N. 57, cum descriptione pro H. IV. 79 convenit, unde talem etiam in catalogo nuncupavi.

Nr. 2841. 21 h. 46′,2. + 18° 54′.

Ex catalogo novarum 145 Herschelii foret pro H. N. 14 anni 1826 AR = 21 h. 45′,7; Decl. = + 18° 48′, quae positio cum loco nostrae stellae ad paucas minutas congruit. Eadem etiam videtur esse H. N. 74, cujus AR secundum Herschelium ad eandem epocham reducta foret 21 h. 43′,4 et Decl. = + 18° 59′. Nam nullam aliam stellam duplicem in vicino conspexi nostrae.

Nr. 2854. 21 h. 55′,7. + 12° 49′.

In ascensione hujus stellae est incertitudo. Besselio est 21 h. 54′,7, nobis 21 h. 55′,7, Southio 21 h. 57′.

Nr. 2894. P. XXII. 65.

Non 1 Lacertae, sed haec est H. III. 17.

Nr. 2900. 33 Pegasi.

Vide p. XV. Introductionis.

Nr. 2993. 23 h. 4′,8. — 9° 53′.

Stella haec est in vicino ψ¹ Aquarii, quam Herschelius IV. 12 nuncupat. At ψ¹ Aquarii est duplex classis quintae, cujus distantia est 50″, cum pro IV. 12 Herschelius dederit distantiam 23″,1. At nostrae stellae distantia est 26″ secundum cl. Southium. Hinc licet suspicari eam esse H. IV. 12.

Nebulae detectae.

Lustratio nostra in complures nos duxit nebulas, plerumque in quaestore jam conspicuas, itaque non ex debilissimis, tum in nonnullas cum stellis examinandis una in campo oblatas. Longe major ipsarum pars in catalogis admirabilibus Herscheli occurrit. Recens detectarum hic afferro positiones pro 1826.

	A. R.	DECL.	DESCRIPTIO.
	h. ′	° ′	
1	0 33,4	+ 39 56	Nebula exigua. Stellula (12) in parallelo sequitur 12″ temporis.
2	1 25,3	+ 72 0	Nebula difformis, in qua stellulae tres videntur.
3	9 49,2	+ 69 33	Nebula rotunda tenuis diametri 1′.
4	13 4,4	+ 19 5	Nebula rotunda.
5	16 37,3	+ 24 7	Nebula planetaris lucida diametri 6″, in quaestore est stella (7).
6	18 3,8	+ 6 50	Nebula planetaris maxime memorabilis, in quaestore stella (8), in magno tubo primum die 18 Jul. 1825 ex difformitate pro duplici habita, non distincte disjuncta ob aeris conditionem, ex (8.9) et (8.9) cl. I, sed dubiosa. In mensuris vero apparuit discus formae planetaris diametri 5″ egregie splendidus et uniformis die 16 Sept. 1825. Stellula altera (8) sequitur 14″,4 temporis, et est 32″,7 borealior.
7	18 24,0	+ 64 53	Nebula circumfusa circa duplicem cl. III ex (8.9) et (11). Nr. 2332.
8	20 54,5	— 12 0	Stella (8) in quaestore. In tubo magno nebula planetaris, cujus diameter altera 25″, altera 17″ inventa. Forma est regulariter elliptica et splendor uniformis.
9	21 21,6	+ 11 27	Nebula lucida, partim in stellas dissoluta.

Nebulae 5, 6 et 8, praecipue vero 6, mihi inter objecta maxime curiosa in coelo numerandae esse videntur, quae in quaestore a stellis (7) et (8) nullo modo differre viderentur, at disci planetares uniformes in magno tubo apparerent. Objecta certe sunt in coelo rarissima, quippe in quae, tot examinatis stellis, ter tantum incidi.

Corrigenda et addenda.

Pag. XX. π Arietis. Pro $+5{,}4$ et $-3{,}1$ lege $-5{,}4$ et $+3{,}1$.

— 4. Nr. 150. est 44 catalogi prioris.

— 12. Nr. 479. Pro P. II. 213 lege P. III. 213.

— 23. Nr. 902. Pro 35° 4′ lege 35° 24′.

— 29. Nr. 1138 et 1140 sunt 278 et 280 catalogi prioris, in quo Nr. 1139 non est obvia.

— 44. Nr. 1726 secundum Southium eadem est ac nostra Nr. 1722.

— 47. Nr. 1866 et 1868. Eadem duplex bis in catalogum illata.

— 48. Nr. 1919. Nomen Bootis 103 est tollendum.

— 57. Nr. 2241. ψ Draconis. Pro I. (4) (5) lege IV. (4) (5).

— 66. Nr. 2608. χ Sagittae. Pro H. IV. 64 lege H. IV. 100.

31.

119.

III

V

499.

556.

9

7

8

9

594.

743.

864.

951.

1131.

1300.

2226.

2332.

2358.2359.

1

IV

2407.

β Lyrae

2422.

7.8

8

8

8

2548.

2623.

2651.

2774.

3032.

δ Cygni

ζ Herculis

0 1' 2' 3'

Fig A.

c

b

9 Orionis

4

7

7

12

8

10" 0 10" 20"

Tab II



Est. B-
2105